

~~100~~

A

ac

C. C. III

Sancti  
S. S. S.

Libb. primat. & Cantuar.  
in Nitavo

N. 58.

ff. 1. a 58



EMMANUELIS  
ALVARI  
E SOCIETATE

JESU.


DE GRAMMATICA

Institutione

LIBER TERTIUS,

Sive

*De Syllabarum Dimensione,  
Scholiis Auctoris prætermittis.*



COLONIÆ AGRIPPINÆ,  
In Officina Birckmannica.

B. A. B. N.

m III III

multo mu  
multum multum  
multo f multum  
mult

In hoc libro

... in hoc libro  
videtur fore ...  
...  
...

D  
gi  
pae  
pe  
du  
fan



) ( o ) (



DE GRAMMATICA  
INSTITUTIONE,

LIBER TERTIVS.

DE SYLLABARUM  
DIMENSIONE.



Syllabæ fiunt ex unâ, vel pluribus  
literis, ut: *i ve runt*.

Literæ partim sunt vocales, par-  
tim consonantes.

Vocales sunt sex: *a, e, i, o, u, y*,

Ex vocalibus fiunt sex diphthong-  
gi: *a, au, ei, eu, æ, yi*, ut: *præmiũ, aurũ, hei, Europa,*  
*pœna, Harpyia.*

In diphthongis: *A, O, Y*, semper sunt princi-  
pes: *I, & V*, semper subditæ: *E, & præit, & subit.*

Consonantes in mutas & semivocales divi-  
duntur.

Mutæ sunt octo: *b, c, d, g, k, p, q, t.*

Semivocales itidem octo: *f, l, m, n, r, s, x, z.*

Ex quibus quatuor sunt liquidæ: *l, m, n, r.*

*M, tamen & N*, raro liquefcunt, idque in græcis  
tantum dictionibus, ut: *Tecmessa, cygnus.*

A 2

Duæ

## GRAMMAT. INSTIT.

Dux, X, & Z, sunt duplices, hoc est, valent duas consonantes, nimirum X, valet Cs, vel Gs, ut: *Dux, Rex*. Veteres Z, per duplex, ss, reddebant, ut: *Massa patrisso, pitisso*.

F, præposita liquidis L, & R, vim habet mutæ S, quamvis immunis ac sui juris sit (neque enim inter liquidas, aut duplices numeratur) interdum tamen liquefcit, ut suo loco dicemus.

H, sitne litera, an aspirationis nota, dubium, controversumque est.

I. Inter duas vocales posita, consonans est, atque duplex I valet, ut: *Major, peior*: veteres I geminabant, ut: *Maijor, aiyo, Maija*.

I, & U, cum vocalibus præponuntur, easque comprimunt, fiunt consonantes, ut: *Janua, jecur, consilio, jocus, iudex: Vates, velox, vita, vox, vultus*.

Iota Græcorum, nunquam est consonans, quare in Iason, Iambus, Iaspis, & cæteris, quæ planè sunt græca, prima vocalis est.

Jod apud Hebræos semper consonans est, cum vocalibus præponitur ut: *Jesus, Joannes, Jacobus*. Itaque qui hæc atque alia ejusdem generis nomina per I consonantem efferunt, optimè quidem pronuntiant: qui verò per vocalem, Græcos imitantur.

U, post Q, literam semper liquefcit, ut: *Quare, quareo, quia*. At post G, & S, modò liquefcit, ut: *lingua, languedo, anguis, extinguo, suadeo, suavis*: modò integra est, suamque vim retinet, ut: *Exiguus situs*.

Literæ liquefcunt cum vim roburque vocalis aut consonantis amittunt.

SYL.

## LIBER III.

### SYLLABÆ PARTIM BREVES, partim longæ, partim communes.

Syllabæ, quas temporibus metimur, aut breves sunt, aut longæ, aut communes. Tempus est spatium, intervallumque, quo syllaba pronuntiatur.

Syllaba brevis ex uno tempore atque spatio constat, ut: *At, sed*. Longa, ex duobus, ut: *Ah, en*.

Communis est, quæ in versu, tum brevis, tum longæ esse potest, quales sunt priores in *Atlas, Cyclops*: mediæ, in *Tenebra, lacebra pharetra*.

Nulla vocalis apud Latinos perpetuò brevis, aut longæ est. Apud Græcos epsilon & omicron, quæ e, & o, brevo valent, perpetuò sunt breves, ut: *Origenes, Timotheus, Herodotus, Macedones*.

η, eta & ω omega, quæ e & o longum valent, semper sunt longæ, ut: *Eremus, Idolam*.

### PRÆCEPTA UNIVERSA de Syllabarum brevitate ac longitudine.

#### PRIMUM DE VOCALI ante vocalem.

Vocalis ante vocalem in latinis dictionibus brevis est, ut: *puer. fuit, ruit*.

Virg. *Disce puer virtutem ex me, verumque laborem.*

Idem. *Lucus in urbe fuit mediâ latissimus umbra.*

Idem. *Urbs antiqua fuit, multos dominata per annos.*

A 3

EX

## GRAMMAT. INSTIT.

### EXCEPTIO I.

Flo, I, habet longum, nisi sequatur R, ut: *fiēbam, fiam.*

Juv. Fient *Ista palam, cupient & in acta referri.*

Sin R, sequatur, breve est, ut: *fiērem, fieri, confieri.*

Virg. *Nunc quā ratione, quod instat.*

*Confieri possit, paucis, adverte, docebo.*

### EXCEPTIO II.

Interrogandi ac dandi casu; quintæ declinationis, E ante I producunt, ut: *diei, speciei, Præter rei, spei, fidei.*

Hor. *Ventum erat ad Vestæ quartâ jam parte diei.*

Lucretius primam in *rei* producit, sed non est audiendus.

### EXCEPTIO III.

Genitivus in *ius*, habet I, longum in solute oratione: in carmine, cum breve, tum longum, ut *unius, illius*. Præter *alterius*, quod ubique I, habet breve, *Alius* verò longum.

Virg. *Unius obnoxam, & furias Ajacis Oilei.*

Hor. *Nullius addictus jurare in verba magistri.*

### EXCEPTIO IV.

Ohe primam habet communem.

Martialis. *Ohe jam satis est, ohe libelle.*

Cai, Pompei, Vultei, & si qui sunt similes vocandi casus, penultimam habent longam.

Mart. *Quod peto da Cai, non peto consilium.*

Ovid.



LIBER III.

Ovid. Accipe Pompei, deductum carmen ab illo,  
Debitor est vita qui tibi, Sexte, sua.

Similiter interjectio Io priorem habet communem.

Mart. Rursus Io, magno clamat tibi Roma triumphos.

Sil. Quoque ferebatur ductor Sidonius, Io  
conclamant.

Io, Inachi filia, frequentius primam producit; Ovidius  
tamen eandem corripuit in Epist. Hypermetra ad Linum:

Quae tibi causa fugae? quid Io freta longa pererras.

APPENDIX.

Aer, chorea, platea, cytherea, elegia, Enyo,  
Darius, Diana, Laertes, Latous, & alia hujus  
generis, quae vocalem ante vocalem longam habent,  
græca sunt.

Ovid. Terraferas cepit, volucres agitabilis aer.

Idem. Sape sub hac Dryades festas duxere choreas.

Virg. Parce metu, Cytherea, manent immota tuorum  
Fata tibi.

Chorea, platea, Malea, Nereis, Dædaleus, Gra-  
phium, Diana interdum à Poëtis corripuntur.

Virg. Pars pedibus plaudunt, choreas, & carmina  
dicunt.

Horat. Pura sunt plateæ, nihil ut meditantibus obstat.

Papin. Arripit extemplo maleæ de valle resurgens  
Notum iter ad Thebas.

Claud. Lascivas doctum fallere Nereidas.

Ovid. Quid digitis opus est graphium lassare tenendo e

Virg. Constiterant silva alta Jovis, Lucusq; Diana.

Eos,

ebam,

nsferi.

onis,

spei,

si.

au.

ora-

ut

abet

ndi

vid.

## GRAMMAT. INSTIT.

*Eos, aurora, & Eous, quia modò per e, modò per η apud Græcos scribuntur, primam habent communem, Propert. Sive illam Hesperis sive illam ostendat Eois; Uter & Eoos. uter & Hesperios.*

Quæ apud Græcos per ε scribuntur, apud Latinos modò per i longum efferuntur, ut: *Alexandria, Antiochia, bravium, idolum, Thalia, Xenodochium, &c.* modò in E longum convertuntur; ut: *Aeneas, conopeum, odeum, platea, &c.*

Nominumquam solutâ diphthongo ε in η quod ε longum valet, mutatur, ut: *Cithereia, Cithereia, Elegeia, Elegeia.*

Ovid. *Exigit indicis memorem Cithereia pœnam.*

Idem. *Flebilis indignos Elegeia solve capillos.*

### A P P E N D I X.

*I*Dea, Andreas, Sophia, Philosophia, Symphonia, Etymologia, Orthographia, & alia quamplurima vocalem ante vocalem corripunt: licet eadem nomina, acutâ penultimâ multi viri docti more Græcorum pronuncient.

Hor. *ut Grajas inter mensas symphonia discors.*

## P R Æ C E P T U M II.

### De Diphthongis.

Diphthongus longa est tam in græcis, quam in latinis dictionibus, ut: *Aeneas, Melibœus premium, laus.*

Virg. *Miratur molem Aeneas magalia quondam.*

Idem. *O Melibœe! Deus nobis hac otia fecit.*

Idem.

## LIBER III.

Idem. *En Priamus: sunt hic etiam sua præmia laudi.*

### EXCEPTIO.

**P**Ræpositio Præ, composita, cum vocalem præcedit, brevis est ut: *Præuro, præustus, præeo, præacutus.*

Virg. *Stipitibus duris agitur, sudibusque præustis.*

Stattius tamen lib. 6. *Thebaid. primam in præeo produxit.*

*Premia, cum vacuus domino præiret Arion.*

### PRÆCEPTUM I.

*De positione.*

**V**Ocalis ante duas consonantes, vel unam duplicem ejusdem dictionis, longa est positione, ut: *Terra, Araxes, gaza, majora Troja.*

Virg. *Terra procul vastis colitur Mavortia campis.*

Luc. *Sub juga jam Seres, jam barbarus isset Araxes.*

Virg. *Arma virum, tabulaq; & Troia gaza per undas,*

Idem. *Sicelides Muse paulò majora canamus.*

Idem. *Hostis habet muros: ruit alto à culmine Troja.*

### APPENDIX I.

**S**I altera consonans fuerit in fine præcedentis dictionis, altera in principio sequentis, Vocalis nihilominus longa erit, ut: *At pius*, ubi A, longum est positione duarum consonantium, t, & p, quamvis sint in diversis dictionibus.

Virg. *At pius Aeneas per noctem plurima volvens.*

### APPENDIX II.

**S**' utraque consonans, aut duplex, fuerit in principio sequentis dictionis, nihil præcedentem vocalem brevem juvabit.

A S

Ovid.

## GRAMMAT. INSTIT.

Ovid. *sedebat*

*In folio Phœbus claris lucente smaragdis.*

Virg. *Phœbe graves Troje semper miserare labores.*

Idem. *fam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos.*

Luc. *Tales fama canit, tumidum super æquora Xerxem,*

Ubi *Lucente, Phœbe, nemorosa, æquora*, ultimas habent breves, licet duæ consonantes, aut una duplex sit in principio sequentium dictionum.

### EXCEPTIO I.

**V**ocalis brevis ante mutam & liquidam ejusdem dictionis, in carmine communis est, in solutâ oratione perpetuò corripitur, ut: *Volucris, Cyclops.*

Ovid. *Et primò similis volucris, mox vera volucris.*

Virg. *Ignarique vie Cyclopum allabimur oris.*

Idem. *Vastòsque ab rupe Cyclopas.*

*Prospicio.*

### APPENDIX I.

**V**ocalis ante F, & liquidas frequentissimè corripitur, ut: *Reflecto, refluo, reflo, reflagito, refringo, refrano.*

Virg. *Nec prius amissam respexi, animùmque reflexi.*

Ovid. *Inq, caput crescit, longòsque reflectitur ungues.*

Idem. *Illà refrænat aquas, obliquàque flumina sistit.*

Horat. *Postquam discordia terra.*

*Belli ferratos postes, portàsque refregit.*

Interdum etiam producitur, ut: *Refloreo*, apud Silium.

*Celsus ceu primà reflatescente juventâ  
ibat consul orans.*

A P.

LIBER III.  
APPENDIX II.

Abluo, obruo, sublevo, adnitor, & cætera ex hisdem præpositionibus composita, nunquam primam corripiant: necesse est enim, ut muta & liquida ad sequentem vocalem spectent, ut: Tenebra, latebra, funebris, lugubris. In abluo, & cæteris, muta ad præcedentem vocalem pertinet.

APPENDIX III.

Etiam necesse est, ut muta præcedat, & sequatur liquida, ut: Patris. Deinde vocalis debet esse naturam brevem, ut fit in Patre, tenebra, cerebrum, &c. quod vel ex accentu colligitur, ut in tenebra; vel ex græco, ut in Pharetra; vel ex poetarum exemplis, ut fit in atrox.

Quæ vocalem naturam longam habent, nunquam corripuntur, ut fit in aratrum, delubrum, matris, atrum salubre, &c.

APPENDIX IV.

M, & N, raro liquefcunt, idque in græcis dictionibus duntaxat, ut: Tecmessa, cygnus, Terapna, Ichneumon.

Sil. Ecce inter primos Terapnao à sanguine clausi.

Mart. Delectat Marium si perniciosus Ichneumon.

EXCEPTIO II.

I, inter duas vocales in compositis bijugus, quadrijugus, simplex consonans est, non duplex: quare merito præcedens vocalis corripitur.

Virg. Interea bijugis infert se Lucagus albis.

Idem. Centumquadrijugos agitabo ad flumina currus.

PRÆ.

GRAMMAT. INSTIT.  
P R Æ C E P T U M I V.

*De Præteritis dissyllabis.*

PRæterita dissyllaba habent priorem longam, ut:  
*Veni, vidi, vici.*

Virg. *Venit summa dies, & ineluctabile tempus.*

Idem. *Quos ubi confertos audere in pralia vidi.*

Idem. *Contrà ego vivendo vici mea fata superstes.*

E X C E P T I O.

STo, do, scindo, fero, rapiunt bibo, findo, priores.

Mart. *Dixit & ardentis avido bibit ore favillas.*

Luc. *Aut scidit & medias fecit sibi littora terras.*

Virg. - - *Liquæfacto tempora plumbo.*

*Diffidit, & multâ porrectum extendit arena.*

A P P E N D I X I.

COMpositum abscidi habet penultimam communem, quando est à scindo; nam à cædo secundam producit.

Luc. *Abscidit impulsu venturum adjuta vetustas.*

Idem. *Abscidit nostræ multum fors invida laudi.*

P R Æ C E P T U M V.

*De præteritis geminantibus primam syllabam.*

CUM prima syllaba præteriti geminatur, eadem & secunda brevis est, nisi obtent dux consonantes. ut: *terigi, peperit, cecini.*

Virg. *Tityre, te patula cecini sub tegmine fagi.*

E X.

LIBER III.

EXCEPTIO.

EXcipiuntur *cacidi*, à *cædo*: *pepedi* à *pedo*, in quibus secunda longa est, ut & in iis, in quibus duæ consonantes sequuntur, ut: *cucurri*, *tetendi*.

Juv. *Ebrius ac petulans, qui nullum fortè cecidit.*

*Dat pœnas.*

PRÆCEPTUM VI.

*De Supinis dissyllabis.*

SUPina duarum syllabarum habent priorem longam, ut: *visum*, *motum*.

Virg. *Terribiles visu formæ, Lethûmque, laborque.*

Idem. *Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.*

EXCEPTIO.

At reor, atque sero, do, junge ciere, linôque  
Ire, ruôque, queo, sivi rapuere priores

Horum verborum supina, ut, *ratum*, *satum*, *datum*, *citum*, *litum*, *itum*, *rutum*, *quitum*, *situm*, priorem carripiunt.

Virg. *Nos abiisse rati & vento petiisse Mycenæ.*

Idem. *At non ille, satum quo te mentiris, Achilles  
Talis in hoste fuit Priamo.*

Valer. Flac. *Vulnus, & extremâ sonuit cita cuspide cassis.*

Ovid. *Hic situs est Phaëthon currûs auriga paterni.*

APPENDIX I.

CITum à *cieo*, secundæ declinationis, priorem brevem habet, unde *concitus*, *excitus* penultimâ brevi.

Virg. *Altior insurgens, & cursu concitus Heros.*

Ovid. de invidia. *Nec fruitur somno vigilantibus  
excita curis.*

Ci

## GRAMMAT. INSTIT.

Citum verò à cio quarti ordinis priorem producit, unde *concitus, excitus*, penultima à longâ.

Luc. *Underuunt toto concita pericula mundo.*

Idem. *Rupta quies populis, stratisque excita Juventus.*

### A P P E N D I X II.

Ruo nunc facit ruitum supino, priscis seculis ruitum fecit, unde extant composita: *dirutum, crutum, obrutum.*

Ovid. *Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant.*

Virg. *Nec mihi cum Teucris ullum post exuta bello Pergama.*

### A P P E N D I X III.

Statum videtur priorem habere communem, inde enim *status, us, & status, a, um*, priore brevi oriuntur: & composita, quæ per *i*, effertur, ipsum corripunt, ut: *præstitum.*

Ovid. *Hic status in cælo multos permansit in annos.*

Idem. *Musa quid à fastis non stata sacra petis?*

Inde etiam *staturus constaturus*, & quæ per *a*, effertur, eandem producant.

Luc. *Tunc res immenso placuit statura labore.*

Mart. *Constatura fuit Megalensis purpura centum.*

### P R Æ C E P T U M VII.

*De Supinis polysyllabis.*

Supina in tum polysyllaba præcedente *u*, habent penultimam longam, ut: *solutum, argutum, &c.*

Virg. *Lumina rara micant: somno, vinoque soluti, Procuuere.*

Item



### LIBER III.

Item in itum à præteritis in vi, per v, consonan-  
tem, ut: cupivi, cupitum: petivi, petatum.

Ovid. Exul eram, requiesque mihi non fama petita est.

#### EXCEPTIO.

Agnitum tamen & cognitum, quamvis fiat ab  
agnovi & cognovi, penultimam brevem ha-  
bent.

Ovid. Idem recens præstas, nec longo cognitum usu.

#### PRÆCEPTUM VIII.

Supina in itum, à præteritis in ul, per u vocalem,  
habent penultimam brevem, ut: à monui, monitum,  
à tacui, tacitum.

Virg. Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.

Idem. Quis te magne Cato tacitum, aut te Cossæ re-  
linquat?

#### PRÆCEPTUM IX.

De Derivatis.

Derivata sequuntur naturam eorum, à quibus  
derivantur, ut: legebam, legam, lege, legito, primam  
brevis, quia oriuntur à Præteriti, lego legis, cujus prior  
ipidem brevis est.

Legero, legissem, legero, legisse, primam longam, quia à  
præterito legi nascuntur, cujus prior etiam longa est.

Aratrum, simulacrum, ambulacrum, lavacrum, vo-  
lucrum, involucrum, penultimam longam, quia à supi-  
nis aratum simulatum, ambulatum, lavatum, voluta-  
tum, involutum deducuntur, quorum penultima si-  
militer longa est.

Reditus, exitus, introitus penultimam correptam, quia  
supina, unde fiunt, eandem habent brevem.

EX-

GRAMMAT. INSTIT.  
EXCEPTIO.

Multa quæ suæ originis naturam non sequuntur; usu alliduaque poëtarum lectione sunt discenda, cujusmodi sunt: *Fomes, mobilis, latebra, regula*, quæ primam habent longam, cum verba *foveo, moveo, lateo, rego*, à quibus proficiuntur, eandem corripiant.

Contra *Lucerna, arista, sopor, vadum*, primam corripiant, cum verba *Luceo, areo, sopio, vado*, à quibus declinantur, eandem producant.

PRÆCEPTUM X.

De Compositione.

Composita brevitatem vel longitudinem simplicium sequuntur. In *perlego, relego*, E, ante G, brevis est, quia in simplici *lego* etiam corripitur.

In præterito *perlegi, relegi*, producitur, quia in simplici *legi*, itidem longa est.

*Attigi, concidi, diffidi, ebibi, rescidi*, I, literam habent brevem, quia in simplicibus eadem vocalis corripitur, *Tetigi cecidi* à *cado*, &c.

*Oblitum, insitum, circumdatum, desitum*, penultimam ob eandem causam habent brevem; nam à *litum* fit *oblitum*, &c.

APPENDIX.

Quantitas simplicium servatur in compositis; quamvis vocales mutantur: sic *concido, excido, incido, occido, recido*, à *cado*, penultimam corripiant, *Eligo, seligo*, à *lego*.

Contra *concido, excido, incido, occido, recido* à *cedo*, eandem producant: sic *allido, collido*, à *lædo*: *Exquiro, requiro* à *Quæro*; *Obedio, obedis* ab *Audio*.

Virg.

### LIBER III.

Virg. Occidit, occideritque *finas cum nomine* *Y* *4.*

Juven. Occidit *miseros exambre repetita* *magistros.*

Hæc à simplicibus longis orta corripuntur, De-  
jero, pejero, à juro: Pronuba, innuba, à nubo: semisopi-  
tus à sopitus: Maledicus, caufidicus, veridicus, fati-  
dicus à dico: Nihilum ex Ni, & hilum.

Hor. *stultitiæ erret, nihilum distabit, an irâ.*

Connubium à Nubo, secundam syllabam habes  
commuam.

Virg. *Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas?*

Idem. *Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.*

### DE PRÆPOSITIONUM compositione.

Ab,		Abeo,	
Ad,		Adoro,	
Ante,		Antefero,	
Circum,		Circumago,	
In,	ut	Inuro,	Breves sunt.
Ob,		Obeo,	
Per,		Pereo,	
Re,		Refero,	
Sub,		Subeo,	
Super,		Superaddo,	

Juv. *Circumagar madidas à tempestate-cohortes.*

Virg. *Talia voce refert, ô tærq̄ue quatærq̄ue beati.*

Omitto. ex Verbo mitto, & Præpositione OB. ab-  
jectâ literâ B. compositum, primam habet brevem.

Horat. *aut spem deponas, aut artem illusus omittas.*

B

Simi-

## GRAMMAT. INSTIT.

Similiter *aperio* & *operio* primam habent breven.  
Item *A* græca Præpositio corripitur, ut: *Adamas*,  
*Adytum*, *Atomus*.

Ovid. *immolat hunc Briareus facta ex adamante  
securi.*

Virg. *Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla.*

Auson. *Parvarum serie constat convexa atomorum.*

## EXCEPTIO.

*Refert*, hoc, *est*, *interest*, seu *neccesse est*, *re* habet  
longum.

Mart. *Multum crede mihi, refert, à fonte bibatur  
Qui fluit: an pigro cum stupet unda lacu.*

Virg. *Neque enim numero comprehendere refert.*

## PRÆPOSITIONES LONGÆ.

*A, E, DE, DI, SE*, longæ sunt, ut: *Amitto*, *erumpo*,  
*deduco*, *diripio*, *separo*.

Virg. *Amissoz longo socios sermone requirunt.*

Idem. *Deducunt socii naves, & littora complent.*

Idem. *Tergora diripiunt costis, & viscera nudant.*

## EXCEPTIO.

*Dirimo*, & *Disertus* *Di* corripunt.

Virg. *Cede Deo, dixitq;, & prælia voce diremit.*

Mart. *Quod tam grande sophos clamat tibi turba  
rogata,*

*Non tu, Pomponi, cæna diserta tua est.*

PRO

## LIBER III.

### PRO PRÆPOSITIO.

PRO præpositio brevis est apud Græcos, ut *Propontis*: longa apud Latinos, ut: *Proveho*.

Ovid. *Misit in has si quos longa Propontis aquas,*

Virg. *Provehimur portu, terræq; , urbescq; recedunt,*

### EXCEPTIO.

**C**orripe quæ fundus, neptis, fugioque, neposque.

Et fari, festus, fateor, fanumque creantur.

Huc profugus spectat: cui iunge profano, protervus,

Huc proficiscor ades, properare, procella, profectò.

Tuque propago genus: vitis propago recede.

Virg. *Tum breviter Dido vultum demissa profatur.*

Proper. *Magnum iter: ad doctas proficisci cogor Athenas.*

Luc. *Ad Cinnas Mariosque venis? sternere profectò.*

Idem. *Quam prior affatur Pompei ignara propago.*

Virg. --- *Pressos propaginis arcus.*

### A P P E N D I X.

**P**ropino, proentro, procumbo, procuro, procurvus, profiteor, propello, & Proserpina primam habent communem: profundo rarissime eandem producit. Prohibeo primam breviat. Profecturus à proficio primam habet longam, à proficiscor eandem habet communem.

## GRAMMAT. INSTIT.

### De A. in COMPOSITIONE.

SI prior pars compositi A. vocali terminetur, produ-  
citur, ut: *Trano, traduco, trado.* (Traho non est  
compositum, & primam corripit.)

Ovid. *Per styga detur iter, stygias tranabimus undas.*

Virg. *Post partum cura in vitulos traducitur omnis.*

Juven. *Tradidit arcano quodcumque volumine Moses.*

### De E in COMPOSITIONE.

SI prior pars compositi, E, vocali terminetur, ferè  
brevis est, ut: *Liquefacio, tepefacio, tremefacio, stu-  
pefacio, nefas, trecenti.*

Virg. *Flammarumque globos, liquefactaque volvere  
saxa.*

Idem. . . . *Atro tepefacta cruore,  
Terra, torique madent.*

Juven. *Credabant hoc grande nefas, & morte piandū,  
Si juvenis verulo non assurrexerit.*

*Rarefacio, patefacio, liquefacio, & tepefacio etiam  
secundâ productâ inveniuntur.*

### EXCEPTIO.

EXcipe *nequis, nequa, nequod, nequam, nequitia, ne-  
quaquam, nequitquam, nequando, videlicet, venefi-  
cus, venefica. sermodius, selibra tamen à Martiali in  
primâ corripitur.*

Virg. *Nequa meis esto dictis mora: Jupiter hac stat.*

Ovid. *Barbara narratur venisse venefica tecum.*

I, vel

## LIBER III.

### I, vel Y, IN COMPOSITIS.

SI prior pars compositionis in I, vel Y desinat, corripitur, ut: *Omnipotens, Causidicus, Palinurus, Tubicen biceps, triceps, bicorpor, tricorpor, trisuspi, Polydorus, &c.*

Virg. *Tam pater omnipotens, rerum cæi summa potestas.*

Mart. *Carpere Causidicus fertur mea carmina: qui sit Nescio, si sciero, va tibi Causidice.*

Virg. *Nudus in ignota Palinure jacebis arena.*

Idem. *Nam Polidorus ego, &c.*

### EXCEPTIO I.

I longum habent ibidem, ubique, idem pronomina virile, biga, quadriga, biduum, triduum, siquis, siqua, siquod, scilicet, ilicet, tibicen, meliphyllon, Trinacria, bimus, trimus, quotidie.

Mart. *Difficilis, facilis, jucundus, acerbus, es idem.*

Idem. *Si totus tibi triduo legatur.*

Virg. *Trinacriæ mirata fremit, Trojaq; juvenus.*

Ovid. *Siqua meis fuerint, ut erunt, vitiosa libellis, Excusata suo tempore lector habe.*

Quatriduum corripitur aliquando. *ubivis, & ubilibet*, produci solent. *siquidem*, si conjunctim scribatur, primam corripit, secus producit. *Parricida, & matricida* produxit Ausonius.

Ubicunque frequentius I. habet breve.

Mart. *Qui tecum cupis esse meos ubicunque libellos.*

Ovidius tamen produxit. *servor ubicunque est.*

## GRAMMAT. INSTIT.

### EXCEPTIO II.

Composita ex dies similiter producuntur, ut *meridies, meridiior, quotidianus, &c.*

Mart. *Inter tepentes post meridiem buxos sedet.*

Catullus tamen secundam in *quotidianus* corripuit.

### EXCEPTIO III.

SI I. fixum non fuerit, sed pro genere & casu mutetur, longum erit, ut: *quidam, quivis, quilibet, tantidem.*

Mart. *Rumpitur invidia quidam charissime Juli:  
Quod me Roma legit, rumpitur invidia.*

Ovid. *Pollicitis dives quilibet esse potest.*

### O. IN COMPOSITIS.

O In Graecis dictionibus priorem compositi partem claudens corripitur, ut: *Cymothoë, Carphorus, Argonauta.*

Mart. *Secula Carphorum, Caesar, si prisca tulissent,  
Fam nullum monstris orbe fuisset opus.*

Idem. *Non nautas puto vos, sed Argonautas.*

### EXCEPTIO.

Quæ per Omega apud Graecos scribuntur, longa sunt: *γεωμετρης, Geometra, λαγώπης, Lagopus*: nec plura facile invenias, quibus utantur Latini.

Mart. *Si meus auritæ gaudet lagopode Flaccus.*

O in latinis dictionibus compositis partim productæ.



## LIBER III.

ducitur, ut: *alioquin, quandoq;*, &c. partim corripitur, ut: *quandoquidem, hodie, dudum, &c.*

Virg. *Dicite quandoquidem in molli consedimus umbrâ*  
Horat. *Indignor, quandoq; bonus dormitat Homerus.*

## DE INCREMENTO SINGULARI NOMINIS.

### QUID SIT INCREMENTUM

SI genitivus singularis par fuerit nominativo syllabarum numero, nullum erit incrementum, ut: *Musa, Musæ, Dominus, Domini.*

Si longior fuerit, tum penultima genitivi incrementum erit, quæ in omnibus casibus utriusque numeri semper genitivi quantitatem servat, ut: *sermo, sermonis, sermoni, sermones, sermonibus*: Ubique *O* longum est. præter *bobus*, ubi *O* producitur, quævis in genitivo singulari corripitur *bovis*.

### A P P E N D I X.

**I**ter, *supellex*, & composita ex caput, literis, *PS. f.* nita, duplici augmentur incremento, ut: *Itineris, supellectilis, biceps, bicipitis.*

### INCREMENTUM PRIMÆ

*Declinationis.*

**A.** incrementum primæ declinationis nullum est, nisi apud Poëtas, etque longum, ut: *Aulai, Pictai.*

Virg. *Aulai in medio libabant pocula Bacchi.*

Virg. *Dives equum, dives pictai, vestis, & auri.*

B 4

IN-

## GRAMMAT. INSTIT.

### INCREMENTUM SECUNDÆ declinationis.

**E, I, V**, incrementa secundæ declinationis corripuntur, ut: *Miser, miseri; vir, viris; satur, saturi.*  
*Virg. Non ignara mali miseris succurrere disce.*  
*Idem. Arma virumquecano, &c.*

### EXCEPTIO.

**Iber, iberi** penultimam habet longam, & ex eo compositum, *Celtiber, Celtiberi.*  
*Lucan. Interea domitis Cesar remeabat Iberis.*  
*Mart. Vir Celtiberis non tacende gentibus.*

### INCREMENTA TERTIÆ Declinationis.

#### A.

**A** Incrementum singulare tertiæ declinationis, longum est, ut:

*Tetigal, Titan, pietas, pax, calcar & Ajax:*

*Ovid. Concitat iratus validos Titanas in arma.*

*Virg. Hic pietatis honos, sic nos in scepra reponis?*

*Idem. Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.*

### EXCEPTIO I.

**C**orripi masculina in *al*, & *ar*, ut: *Sal, Hannibal, Amilcar.*

*Par* cum compositis, *hepar* cum *nectare*, *Bacchar*,

*Cum vade, mas*, & *anas*, queis junges *larque, jubarq.*

*Virg. Vela dabant lati, & spumas lalis ære ruebant.*

*Silius.*

### LIBER III.

Silius. Hannibalem Fabio ducem spectante per Urbem.  
Idem. Cui savum arridens: narrabis Amilcaris umbri.  
Virg. Pergamsumq; Latem, & cana penetralia Vesta.

### EXCEPTIO II.

Item Græca in A, & AS, ut: Poëma, stemma, Pallas,  
& quæ consonantem habent ante S, ut: trabs, Arabs,  
Et dropax, anthrax, atrax, cum smilace, climax.  
His Atacem, panacem, colacem, styracemque, facemq;  
Atque abacem, coracem, phylacem, compositaque  
nectes.

Juven. Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice  
longo.

Sanguine censerit?

Virg. Instar montis equum divinâ Palladis arte  
Adificant.

Ovid. Nam modo thurilegos Arabas, modo sufficit  
Indos.

### E.

E Incrementum singulare tertiæ declinationis,  
breve est, ut:

Degener atque teres pulvis, cum funere, nex grex.

Ovid. Mille greges illi, totidemque armenta per herbas  
Pascabant.

### EXCEPTIO I.

Genitivus enis, penultimam habet longam, ut:  
Ren, Renis; Siren, Sirenis, Hymen, hymenis corri-  
pitur. Producentur autem sequentia.

B s

Ver,

## GRAMMAT. INSTIT.

*Ver, & Iber, locuples, hares, mercésque, quiésque.*

*Lex, vervex, mansues, seps, plebs, rex, injuper halex.*

*Mart. Munera qui tibi dat locupletis, Gaure, seniqs,*

*Si sapiis, & sentis, hic tibi ait, morere.*

## EXCEPTIO.

*Item peregrina in El, ut: Michaël, & Græca in  
er, & es, ut: Crater, Rhamnes, lebes, tapes, soter, præter  
aër, & ether.*

*Virg. Crateres magnos statuunt, & vina coronant.*

*Idem. Rhamnetem aggreditur, qui fortè tapetibus  
altis.*

*Exstructus, toto proflabat pectore somnum.*

## I, vel Y.

*I vel Y, incrementum singulare tertiæ declinatio-  
nis breve est, ut:*

*Ordo, pugil, carmen, cespes, cum sanguine princeps.*

*Et chlamys, atque chalybs, pollex, cumq; indice crimen.*

*Virg. India mittit ebur, molles sua thura Sabæi,*

*At Chalybes nudi ferrum.*

## EXCEPTIO II.

*Genitivus Inis, vel Ynis, à nominibus Græcis  
penultimam producit, ut: Delphin, Phorcyn, Sa-  
lamis. Item.*

*Nefis, Nefidis; Gryps, Gryphis; vibex, vibicis:*

*Elis, Gliris; dis, lis, Samnis, quibus adde Quiritem.*

*Virg. Orpheus in silvis, inter delphinas Arion.*

*Idem. Laomedontiadem Priamum Salamina petentem.*

*Idem.*

### LIBER III.

*Mem. Noctes atque dies patet atri janua Ditis.*

#### EXCEPTIO II.

**N**OMINA IX, vel yx, syllaba finitâ, penultimam genitivi habent longam, ut: *felix, bombyx, bombycis, perdix, coturnix, radix, pernix, cicatrix, &c.*

*Virg. Vivite felices, quibus est fortuna peracta  
fam sua.*

#### EXCEPTIO III.

**I**BREVE SERVÂRUNT *histrix, cum fornice, varix, Coxendixque, Cilix, chœnix, natrinxque, calixq̄, Atque calyx Danaum, noctes Erycœnque, nivemque, Sardonychi sociatur onyx, pix hæret utrique.*

*Et salices, filices, larices: sit Bebricis anceps:  
Sed brevibus junges in gis cum patrius exit.*

*Coecyx, coecygis: mastix, mastigis amabit.*

*Lucan. Armenios Cilicâsque feros, taurôsque subegi.*

*Item. Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.*

*In gis exeunt styx, stryx, Phryx, Biturix, &c.*

*Mastix pro gummi lentisci habet in genitivo mastichis incremento brevi.*

O.

**O** Incrementum singulare tertie declinationis longum est, ut:

*Unio, sol, Telamon, cander, vox, atque sacerdos.*

*Ovid. Regia Solis erat sublimibus alta columnis*

EX.

## GRAMMAT. INSTIT.

### EXCEPTIO I.

GRæca in on, quæ in obliquis habent Omicron corripuntur, ut: *Philemon, Palæmon, Sindon, Agamemnon, Jason, Amazon*, & multa alia, quæ usu sunt discenda.

Virgil. *Pulsant, & pictis bellantur Amazones armis.*  
Latini interdum N. literam omittunt, ut: *Macedo, Macedonis: Agamemno, Agamemnonis.*

Stattus. *Conclamant Danai, stimulatque Agamemno volentes.*

Quæ verò per Omega scribuntur, longa sunt, ut: *Simon, Agon, Sidon, Solon, &c.*

*Orion & Egeon* modò incrementum longum, modò breve habent.

### EXCEPTIO II.

GENITIVUS in oris à nominibus Græcis, & Latinis neutris, præter *os, oris*, & gradus comparativi, ut: *majus, majoris*, penultimam habet brevem, ut: *Nestor, marmor, ebur, corpus*, quibus adduntur *memor, arbor, lepus*, & ex *πῶς ποδός*, *pus podos* composita ut *tripus, tripodis*.

Item. *Bos, compos, & impos.*

Ovid. *Qui licet eloquio fidum quoque Nestora vincat.*

Virg. *Sic vos non vobis fertis aratra boves.*

EX.

## LIBER III

### EXCEPTIO III.

**C**orripuntur etiam *Cappadox, Allobrox, Cecrops, Præcox*, & quæ consonantem habent ante S, ut: *Scrobs, Ethiops, Dolops*, præter *Cyclops, Cercops, Hydrops*.

**Mart.** *Cappadocum sævis Antistius occidit oris,  
Rusticus, ò tristi crimine terra nocens.*

**Virgil.** *Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat  
Achilles.*

**Ovid.** *Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum.*

### U.

**U** Incrementum tertiæ declinationis breve est, ut: *Dux, Ligus, & pecus, intercus, cum præsule, turtur.*

**Virg.** *Magnanimosque duces, totiusque ordine gentis  
Mores, & studia, & populos, & prælia dicam.*

### EXCEPTIO.

**I**nrogandi casus, *adis, uris, & utis*, à nominibus in *us* longum, pnnultimam habent longam, ut: *Palus, paludis: tellus, telluris: virtus, virtutis*. Quibus addenda sunt. *Pollux, lux, fur, frugis, frugi, & cæteri obliqui*, à nominativo *frux* inusitato.

**Tibul.** *Luce sacra requiescit humus, requiescit arator.*

**Virg.** *Quid domini facient, audent cùm talia fores.*

DE

GRAMMAT. INSTIT.

DE INCREMENTO  
PLURALI NOMINIS.

Penultima genitivi, vel dativi pluralis numeri, dicitur incrementum plurale, cum uterque casus est longior nominativo ejusdem numeri, ut *Musas, Musarum*: *ambo, amborum, ambobus*: *quorum, quibus*: *res, rerum, rebus*.

PRÆCEPTUM I.

A, E, O, Incrementa multitudinis, longa sunt, ut: *Quarum, harum, ambabus, rerum, rebus, horum, quorum*.

Ovid. *Cum tamen à turba rerum requieverit harum,  
Ad vos mansuetas porriget ille manus.*

Virg. *At Capys, & quorum melior sententia menti.*

PRÆCEPTUM II.

I, & U, incrementa multitudinis corripuntur, ut: *quibus, tribus, montibus, lacubus*.

Virg. *Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.*

Ovid. *Pramia de lacubus proxima mœsta tuis.*



LIBER III.

DE VERBORUM  
INCREMENTO.

QUID SIT INCREMENTUM  
Verbi.

SECUNDA persona singularis, modi indicativi norma est, ad quam verborum incrementa diriguntur, cui si verbum sit æquale, nullum erit incrementum, ut: *amat, amant*, quia dissyllaba sunt, sicut *amas*, quæ norma & regula est incrementorum, nullum habet incrementum: Sin verbum longius sit unâ syllabâ, unum habebit incrementum, ut: *amamus, amatis*, quorum penultima incrementum est: nam ultima nunquam dicitur incrementum. Si duabus syllabis augeatur, duo erunt incrementa, ut: *amabatis, amabamus*: Si tribus, tria, ut: *amaveritis, amaveramus*: Si denique quatuor, totidem erunt incrementa, ut: *audiebamini*.

In verbis deponentibus fingenda est vox activa, ad quam verborum incrementa dirigantur. Ultima syllaba, ut modò diximus, nunquam est incrementum: Prima verò est, si norma ipsa sit monosyllaba, ut: *Das, fles, damus, datis, dabam, dare*, & cætera dissyllaba unum habent incrementum: eodem modo, *Flemus, fletis, flebam, flere*, &c.

PRÆ

GRAMMAT. INSTIT.

PRÆCEPTUM I.

**A**, in omni verborum incremento producitur,  
ut: *Stabam, stares, properamus, docebamus, audiebā-*  
*mini, &c.*

*Virg. Trojāque nunc stares, Priamīque arx alta ma-*  
*neres.*

*Ovid. Serius aut citius metam properamus ad unam.*

EXCEPTIO.

**A**, primum duntaxat Incrementum verbi *Do,*  
*das,* corripitur, ut: *Damus, dabunt, dare:* ob quam  
causam pronunciamus, *circumdamus, circumdabunt,*  
*circumdare, venundabo, venundare, & cætera penulti-*  
*ma brevi.*

*Virg. His lacrymis vitā damus, & miseresчимus ultro.*

*Ovid. fuffit & ambita circumdare littora terra.*

PRÆCEPTUM II.

**E** in omnibus verborum incrementis producitur,  
ut: *Elebam, rebar, lacereris, docerem, legerunt.*

*Ovid. Flebat Aristeus, quod apes cum stirpe necatas*  
*Viderat inceptos destituisse favos.*

*Virg. Sic equidem ducebam animo, rebarq; futurum.*

*Mart. Badate Lucano cum sic lacereris ab urso,*

*Quam superes pennas nunc habuisse tuas.*



LIBER III.

EXCEPTIO I.

E. ante R. breve est in quovis presenti, & imperfecto tertiae Conjugationis, ut: Cognoscere, legerem, legeremus, legeris vel legere. Raris tamen, & rere, producitur, ut: Loquereris, prosequerere.

Virg. Incipe parve puer risu cognoscere matrem.

Mart. Illud, Laurigeros ageres cum lata triumphos,

Hoc tibi Roma caput, cum loquereris, erat.

Ovid. Tantane te fallax coepere obliviam nostri.

Afflictumque fuit tantus adire timor,

Ut neque respiceres, nec solacere jacentem,

Dure, nec exequias prosequerere meas?

EXCEPTIO II.

E. ante ram, rim, ro, corripitur, ut: Amaveram, amaverim, amaveros feceram, fecerim, fecero. De caeteris personis idem esto iudicium. Amaveris, amaverit, amaverimus, amaveritis: fecerimus, feceritis.

Ovid. Fecerat exiguas jam sol altissimus umbras.

EXCEPTIO III.

Beris & bere semper corripitur: ut Celebraberis vel celebrabere, mordeberis vel mordebere.

Virg. Semper honore meo, semper celebrabere donis.

Ovid. Tu cave defendas, quamvis mordebere dictis.

C

AP.

# GRAMMAT. INSTIT.

## A P P E N D I X.

PŌētæ in præterito indicativi E, literam ante *riunt* syllabam pro suo jure interdum corripunt.

Virg. *Obstupui, steteruntq; coma, & vox faucib<sup>9</sup> hæsit.*

Horat. *Dii tibi divitias dederunt, artémque fruendi.*

Silius. *Terruerunt pavidos accensa Ceraunia nautas.*

## P R Æ C E P T U M III.

I, In quovis verborum incremento corripitur, ut *Linquimus, amabimus, audiebamini.*

Virg. *Linquimus Ortygia portus, petagóque volamus.*

## E X C E P T I O.

PEnultima præteriti in *ivi* longa est, ut: *petivi.*

Et primum incrementum quartæ conjugationis, ut: *ibam, ibo, ito, subimus, venimus, reperimus,* præsentis temporis.

Virg. *Cessi, & sublato montem genitore petivi.*

Idem. *Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito.*

Idem. *Jungimus hæspitio dextras, & recta subimus.*

Hæc etiam I, longam habent: *Nolito, nolite, nolimus, nolitis, velimus, velitis, simus, sitis, & quæ ex ipsis componuntur, ut: possimus, adsimus, &c.*

Ovid. *Et documenta damus qua scimus origine nati.*

Idem. *Si quis, ut in populo, qui scis, & unde, requirat.*

A P.

LIBER III.  
APPENDIX I.

I Mus in præterito penultimam corripit, ut: *Veni-  
mus, reperimus, comperimus.*

Virg. *Non nos aut ferro Libyos populare penates  
Vequimus, aut raptas ad littora vertere prædas.*

APPENDIX II.

Tempora conjunctivi modi syllabis rimus & ritis  
finita, habeantne penultimam brevem, an  
longam.

Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est,  
non solum recentiores sed etiam veteres. Diomedes  
enim docet præteritum breve esse, futurum verò  
longum. Probus utrumque longum esse affirmat.  
Quare cum versus facies. Poëtas optimos imitabe-  
ris; qui ri syllabam modò corripunt, modò pro-  
ducunt, prout versus postulat. Si tibi aliquid re-  
citandum erit, ne sermonem des auditoribus, con-  
suetudini regionis servies.

PRÆCEPTUM IV.

O in verborum incrementis semper producitur,  
ut: *facitote.*

Ovid. *Cumque loqui poterit, matrem facitote salutet.*

PRÆCEPTUM V.

U, in verborum incrementis ubique corripitur,  
ut: *Sumus, possumus, volumus.*

Horat. *Nos numerus sumus, & fruges consumere nati.*

## GRAMMAT. INSTIT.

Idem. *Si patria volumus, si nobis vivere cari.*

U. in penultima futuri in RUM, & Participii in RUS semper est longa, ut: *Amaturum, periturum; amaturus, periturus.*

Virg. *Si periturus abis, & nos rape in omnia tecum.*

## DE ULTIMIS SYLLABIS.

Syllabæ, quæ ultimum locum tenent, partim positione, ut: *Prudens, præcox*; partim diphthongo, ut: *Musa*; partim privatis præceptionibus cognoscuntur, de quibus nunc agendum est.

A, in fine.

A, finita longa sunt: ut *Memora, contra, ultra, antea.*

Virg. *Musa mihi causas memora: quo numine lesa.*

Idem. *Aolus hæc contrâ: Tuus ô Regina quid optes  
Explorare labor, mihi jussa capessere fas est.*

## EXCEPTIO.

Corripi *Eja, ita, postea, quia*; item casus omnes in A, ut: *Anchora, vela*; præter ablativum, ut *de prorâ*; & vocativos Græcos, ut: *ô Aenea, ô Atla, Calcha, Palla.*

Virg. *Non ita me experti Bitias, & Pandarus ingens.*

Idem. *Anchora de prorâ jacitur, stant litore puppes.*

Idem. *Tendunt vela Noti, fugimus spumantibus undis.*

Idem. *Non hæc ô Palla dederas promissa parenti.*

Idem. *Quid miserum Aenea, laceras? jam parce sepulto.*

Trigin-

### LIBER III.

*Triginta, quadraginta, &c. ultimam habent communem.*

*Virg. Triginta caput fetus enixa jacebit.*

*Manil. Ter triginta quadrum partes per sidera reddunt.*

*Idem. Et quinquaginta Regum, Regemq; Patremque.*

*Mart. Mutua quod nobis ter quinquaginta dedisti.*

### E in fine.

*E, litera finita corripuntur, ut: Nate, fuge, pone, facile, pene, nempe.*

*Virg. Heu fuge nate Dea, teque his, ait, eripe flammis.*

*Idem. Pene simul tecum solatia rapta Menalca.*

*Mart. Lege nimis dura convivam scribere versus  
Cogis Stella: licet scribere, nempe malos.*

### EXCEPTIO I.

*Producuntur omnia primæ & quintæ declinationis, ut: Anchisiades, ô Anchisiade, Calliope, re, die, & quæ inde oriuntur, ut: quare, hodie quibus adde fame, cete, tempe.*

*Virg. Tros Anchisiade, facilis descensus Averni.*

*Idem. Vos ô Calliope, precor aspirate venienti.*

*Mart. Non venias quare tam longo tempore Romam.*

*Luc. Aut hodie Pompejus erit miserabile nomen.*

*Virg. Objicit: ille fame rabidâ tria guttura pandens.*

### EXCEPTIO II.

*Item verba imperativi modi, numeri singularis, secundæ Conjugationis, ut: Vide, habe.*

3

Horat.

## GRAMMAT. INSTIT.

Horat. *Vade, vide, cave, ne titubes mandataque frangas.*

Mart. *Qua tua sunt, tibi habe: qua mea, redde mihi. Cave ferè corripitur.*

Ovid. *Tu cave defendas, quamvis mordebere dictis. Idem produxit alibi.*

Nate cave, dum resque sinit, tua corrige vota.

Sunt etiam longa monosyllaba, ut: *Me, te, se.*  
Exceptis conjunctionibus encliticis, *Que, ne, ve,*  
Et syllabicis adjectionibus *Pte, Ce, Te,* ut: *Suapte, hūce, tute.*

Virg. *Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?*

Horat. *Neve putes alium sapiente bonoque beatum.*

Horat. *Hinc omnis perdet Lucilius hūce sequutus.*

Lucret. *Accipe praterea, qua corpora tute necesse est  
Consiteare.*

## EXCEPTIO III.

Longa praterea sunt, *ferè, fermè, Ohe,* & adverbia à nominibus secundæ declinationis profecta, ut:

*Placidè, validè, minimè, summè. Præter bene & malè.*

Juven. *Nulla ferè causa est, in quâ non scemina litem  
Moverit.*

Idem. *Mobilis & varia est fermè natura malorum.*

Mart. *Ohe, jam satis est, ohe libelle.*

Idem. *Excipe sollicitos placidè, mea dona, libellos.*

Idem. *Nil bene cum facias, facis attamen omnia bellè.*

Horat. *Et malè tornatos incudè reddere versus.*

A P.



## LIBER III.

### APPENDIX.

Facile, etiam cum est adverbium, corripitur: nam adjectiva tertiae declinationis, cum in adverbium transeant, ultimam habent brevem, ut: *sublime suave, dulce, &c.*

Virg. *Cantantes sublime ferent ad sidera cygni.*

Virg. *Ipse, sed in pratis aries jam suave rubenti Murice.*

I. in fine.

I. vocali terminata longa sunt, ut: *classi, fieri.*

Virg. *Sic fatur lacrymans, classisque immittit habenas.*

Mart. *Quam vellem fieri meus libellus.*

### EXCEPTIO I.

Corripi nisi, quasi, & Græca, quæ in I, vel Y ex-  
eunt, ut: *Palladi, Daphni, Moly, Chely.*

Ovid. *Quid nisi, Pierides, solatia frigida restant?*

Mart. *Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba.*

Stattius. *Palladi littorea celebrabat Sciros honorum  
Fortè diem.*

Virg. *Insere Daphni pyros: carpent tua poma nepotes.*

Ovid. *Moly vocant Superi, nigrâ radice tenetur.*

De Dativis Græcis in I, tertiae declinationis illud observa, quod græco more declinata melius corripiantur, ut: *Adonidi, Palladi, Thetidi, &c.* si verò latino more declinentur, producuntur pro libito.

At Vocativi Græcolatini tertiae Declinationis in I, vel Y, corripuntur, si generis masculini sint,

C 4

ut,

## GRAMMAT. INSTIT.

ut : O Alexi, Adoni, &c. siue generis foeminae fiat,  
ut : O Cypri, Coty, Pieri, &c.

## EXCEPTIO II.

Mihi, tibi, sibi, ultimam habent communem :  
ibi, ubi, cui, cum dissyllabum est, frequentius  
corripiuntur.

Virg. Post mihi non simili pena commissa luetis.

Idem. Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem.

Mart. Sed norunt cui serviant leones.

Idem. Me legit omnis ibi senior, juvenisq, puerque.

Horat. Reddit ubi Cererem tellus inarat a quot annis.

Necubi, sicubi, sicuti Dactyli sunt, & semper ultimam  
correpiam inveniuntur. Uti pro ut habet ultimam  
communem, veluti eandem habet longam.

### O. in fine.

O. finita ambigua sunt, ut : Quando, vigilando, nolo.

Mart. Nolo mihi ponas rhombum ; nullamve bilibrem  
Nolo Boletos, ostrea nolo : tace.

## EXCEPTIO I.

Excipe monosyllaba, ut : O, do, sto, Dativos & abla-  
tivos, ut : somno, tuo : item Graeca, quae habent omega,  
ut : Androgeo, Atho, Clio, Alecto, & cetera ejusdem ge-  
neris, quibus accedit Ergo pro causa.

Virg. O lex Dardania, spes o fidissima Teucrum.

Idem. Invadunt urbem ianuae vicoque sepultam.

Idem.

### LIBER III.

Idem. *Lactificam Alecto Dirarum ab sede sororum.  
Infernisque ciet tenebris.*

Io five nomen, five interjectio semper invenitur  
ultimâ longâ tantum.

Horat. *Tuque dum procedis, io triumphe?*

Idem. *Persidus Ixion, Io vaga tristis Orestes.*

### EXCEPTIO II.

Item adverbia à nominibus orta, ut: *Subito merito,  
multo, quibus adduntur: adeo, ideo, subito aliquoties  
à Sen, corripitur.*

Hinc rursus excipiuntur: *modo, quomodo, dummodo,  
postmodo, cito, imò: quibus accedunt: scio, nescio duo.*

Mart. *Mentiris juvenem tinctis Lentine capillis.*

*Tam subito corvus, qui modo cygnus eras?*

Idem. *Non habet ergo aliud? non habet imò suum.*

### EXCEPTIO III.

Adverbium serò, conjunctio verò ultimam habent  
communem, His addunt aliqui Porro.

Mart. *Pro meritis caelum tantis, Auguste dederunt  
Alcida cito Diis: sed tibi serò dabunt.*

Val Flac. *Sin verò preces, & dicta superbus  
Respuerit.*

U. in fine.

U finita longa sunt, ut: *Manu, cornu, Panthu.*

Virg. *Tela manu miseri labant irrita Teucri.*

Idem. *Jam cornu petat, & pedibus, qui spergat arenam.*

C 5

Ovid.

## GRAMMAT. INSTIT.

Ovid. *Nec mora, curvavit cornu, nervoque sagittam  
impulit.*

Virg. *Quo res summa loco Panthu? quam prendimus  
arcem?*

B, D, T, in fine.

B, D, T, litteris terminata corripuntur, ut: *ab,  
quid, audiit.*

Virg. *Tum pater Aeneas puppi sic fatur ab altâ.*

Idem. *Quidquid id est timeo Danaos, & dona ferentes.*

Idem. *Audiit & Trivia longè lacus, audiit amnis.*

C, in fine.

C, literâ finita longa sunt, ut: *Sic, hoc, hîc*, adverbium.

Virg. *Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.*

Idem. *Hoc Helymus facit, hoc avi matorum Acestes.*

Idem. *Classibus hic locus, hîc acies certare solebant.*

## EXCEPTIO I.

Corripe donec, nec.

Ovid. *donec eris felix, multos numerabis amicos.*

Idem. *Parve, nec invideo, sine me liber ibis in urbem.*

## EXCEPTIO I.

Hic pronomem virile anceps est.

Virg. *Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis.*

Idem. *Est hic, est animus lucis contemptor, & istum.*

Verbum fac tutius corripitur.

Mart. *Signararius, aut semel fac illud.*

L.

## LIBER III.

L, in fine.

L, finita brevia sunt, ut: *Asdrubal, semel, vigil, simul,*  
*Consul.*

*Sil. Vertit terga citus damnatis Asdrubal ausis.*

*Horat. Quo semel est imbuta recens servabit odorem*  
*Testa diu.*

## EXCEPTIO.

*Sal, nil, sol, longa sunt. Item pleraque peregrina,*  
*ut: Nabal, Daniel, Saul.*

*Stattius. Non Sal, oxyporumve, caseusve.*

*Mart. Nil aliud video, quo te credamus amicum.*

*Ovid. Ulterius spatium medio Sol altus habebat.*

M, in fine.

M, finita priscis temporibus corripiebantur, neque à sequenti vocali, ut modò fit, excipiebantur, quod etiam nunc in compositis verbis cernitur.

*Ennius. Insignita ferè tum millia millium octo*  
*Duxit, delectos bellum tolerare potentes.*

*Lucan. Quò te circumagas, qua prima aut ultima*  
*ponas?*

N, in fine.

N, litera finita longa sunt, ut: *Sin, Titan, Siren,*  
*Salamin, Acteon, & cætera tertiaz declinationis, quæ*  
*in On exeunt.*

*Virg. Sin absumpta salus, & te pater optime Teucrum.*

*Luc. Unde venit Titan, & nox ubi sidera condit.*

*Ovid. Actæon ego sum, dominum cognoscite vestrum.*

Item Accusativus Græcus nominum in *As, Es, E,*  
*ut*

## GRAMMAT. INSTIT.

ut: *Aenean, Anchisen, Calliopen, Graecus* itidem genitivus multitudinis cujusvis declinationis, ut: *Cimmerion, Epigrammaton.*

Virg. *Et saevum Aenean agnovit Turnus in armis.*

Item. *amitto Anchisen: hic me pater optime fessum Deseris.*

Tib. *Cimmerion etiam obscuras accessit ad oras.*

## EXCEPTIO I.

Corripipe, *An, in, cum* compositis *dein, proin, exin, forsan, forsitan, tamen, attamen, veruntamen.* Item, ea syllaba finita, quae faciunt genitivo inis, ut: *Nomen, lumen, flumen.*

Virg. *Forsitan & Priami fuerint quae fata requiras.*

Idem. *Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit.*

Stat. *ferrumque quod amens.*

*Ipsa dedi. videntur ut jugulo consumpserit ensem.*

Ovid. *Nomen Arionium Siculas impleverat urbes.*

Quae particulam *ne* per Apocopen, mutilatam habent, ut: *ain? audin? pro ainsne? audinsne?* melius communis sunt. Correpta inveniuntur *viden?*, & *nostin?* at producta reperiuntur *remon? tun? &c.*

## EXCEPTIO II.

Corripiuntur etiam Graeca in *On*, quae ad secundam nostram declinationem spectant ut: *Pelion, Ilion, Erotion.*

Ovid. *Ilion & Tenedos, Simoisque & Xanthus & Ida.*

Mart. *Pallida nec nigras horrescat Erotion umbras.*

Omyes

### LIBER III.

Omnes denique accusandi casus; qui à nominibus ultimam brevem habentibus proficiscuntur, ut: Scorpion, Thetin, Ityn, Majan, Eginan.

Luc. Scorpion incendis caudâ, chelâsque peruris.

Ovid. Tantaq; vox animi est, Ityn huc accersite, dixit.

Stat. Namq; ferunt raptam patriis Eginan ab undis.

R, in fine.

R, litera terminata corripuntur, ut: Amilcar, semper, semivir, cor, precor, Hector, turtur.

Sil. At senior Sicutis exultat Amilcar in armis.

Virg. Semper honos noménque tuum, laudésque manebunt.

Luc. Inseruisse manus impure ac semivir audes?

Ovid. Molle cor ad timidus sic habet ille preces.

Juven. Tolle tuum precor Annibalem, victúmque Syphacem.

Ovid. Inferias dedes as cum fratribus Hector inanes.

Virg. Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

Cor apud Lucretium, & Ovidium productum invenitur.

Ovid. Molle meum, levibus cor est violabile telis.

Lucret. Denique cor hominum, &c.

### EXCEPTIO.

PRoducito Cur, far, fur, iber, lar, nar, ver, par cum compositis, ut: Compar, dispar, & impar. & Græcæ faciunt genitivo eris ut: aër, ather, crater.

Horat. Descriptas servare vices, operúmque colores.

Cur

## GRAMMAT. INSTIT.

Cur ego, si nequeo, ignoroque, poeta salutor?  
Mart. Callidus effraet à nummos fur auferet arcâ.  
Luc. Si tibi durus, Iber, aut si tibi terga dedisset  
Cantaber.

Horat. Ludere, par, impar, equitare in arundine longâ.  
Virg. Largior hic campos æther & lumine vestit.

## A P P E N D I X.

Celtiber à Martiale lib. 10. corripitur.  
Ducit ad auriferas quod me Salo Celtiber oras.  
Unde aliis anceps est.

As, in fine.

As, syllabâ finitâ longa sunt, ut: *Aneas*, *Pallas*  
*Pallantis*: *fas*, *nefas*.

Virg. *Aneas* ignarus abest, ignarus & absit.

Idem. *Tela manusque* finit: hinc *Pallas* instat, & urget.

Idem. Quippe etiam *Festis* quadam exercere diebus  
*Fas* & *jura* sinunt.

Juven. Credebant hoc grande nefas & morte piandum,  
Si juvenis vetulo non assurrexerat.

## E X C E P T I O.

Corripi *Græca*, quorum genitiuus exit in adis, ut:  
*Arcas*, *Pallas* *Palladis*.

Item accusativos tertiæ declinationis nominum  
*Græcorum*, ut: *Troas*, *Delphinas*, *Heroas*.

Ovid. *Pallas* anum simulat, falsosq; in tempora canos  
Addit.

Mart.



### L I B E R III.

Mart. Cum quibus Alcides, & pius Arcas erat.

Ovid. In te fingebam violentos Troas ituros.

Virg. Permistos Heroas, & ipse videbitur illis.

#### Es in fine.

Es syllabâ terminata longa sunt, ut: Anchises, locuples, quoties, octies, decies, tricies, &c.

Virg. Anchises alacris palmas utrasque tetendit.

Mart. Orbis es, & locuples, & Bruto consule natus.

Idem. Dicere te lassum quoties ego credo Quirino?

Idem. Uno nasceris octies in anno.

Idem. Egrotas uno decies, aut sapius anno.

### E X C E P T I O I.

Corripi nomina tertiæ declinationis, quæ crescunt in obliquis penultimâ brevi, ut: Dives, eques, hospes, pedes.

Virg. Insula dives opum, Priami dum regna manebant.

Idem. Obvius armato, ceu cum pedes iret in hostem.

Præter abies, aries, Ceres, paries, pes cum compositis, ut: Cornipes, sonipes.

Virg. Populus in fluvio, abies in montibus altis.

Luc. Non aries illis, non ulla est machina belli.

Virg. Flava Ceres alto nequicquam spectat Olympo.

Ovid. Nec pes ire potest, intra queq; viscera saxum est.

Virg. Stat sonipes, & frena ferox spumantia mandit.

Ceres melius producitur, quamvis etiam correpta inveniat.

E X.

GRAMMAT. INSTIT.

EXCEPTIO II.

ES, à verbo sum, etiam breve est, & ex eo composita, ut: Potes, ades: item penes, & Græca neutra in Es, ut Cacoëthes.

Præterea nominandi, vocandique casus Græcorum, ut: Arcades, Troës, Rhetores.

Virg. Quisquis es, amissos jam hinc obliviscere Grajos.

Mart. Tu potes, & patria miles, & esse decus.

Horat. Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.

Juven. . . . . tenet insanabile multos

Scribendi Cacoëthes, & agro in corde senescit.

Virg. Arcades insulas acies inferre pedestres.

Idem. Egressi optatâ potiuntur Troes arendâ.

Accusandi casus videntur sequi regulam Latinorum, quam vis apud Ovidium legatur:

Quis scit, an hæc sevas insula tigres habet?

Is, vel Ys in fine.

Is, vel Ys, finita corripuntur, ut: Apis, inquis, ais, Thetis, Tiphis, Itys.

Ovid. Non apis inde tulit collectos sedula flores.

Mart. Non est, inquis, idem: multò plus esse probabo.

Perf. Hunc ais? hunc diis iratis, genioque sinistro.

Sat. Jam dudum tacito lustrat Thetis omnia visu.

Virg. Alter erit tum Tiphis, & altera, quæ vehat Argo Delectos Heroas.

EX.

## LIBER III.

### EXCEPTIO I.

EXcipe casus omnes multitudinis, ut: *Viris, armis, Musis, nobis, vobis. Quis pro quibus, omnis, urbis, pro omnes, urbes.*

Item *Glis, vis*, nomen & verbum, *Velis, sis*, cum compositis, ut: *quamvis, nolis, adsis: possis* tamen, & *velis* inveniuntur correpta, sed melius producuntur.

Et secundas personas numeri singularis, modi indicativi, quartæ conjugationis, ut: *Nescis, sentis.*

Virg. *Præsentemque viris intentant omnia mortem.*

Lucan. *Plus illâ vobis acie, quàm creditis, actum est.*

Virg. *Otérque quatérque beati.*

*Quis Ante ora patrum Trojæ sub mœnibus altis  
Contigit oppetere.*

Idem. *Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.*

Mart. *Fam satis est: non vis aser avere, vale.*

Lucan. *Quamvis Hesperium mundi properemus in axem.*

Mart. *Nescis, heu nescis domina fastidia Romæ.*

### EXCEPTIO II.

ENon præterea sunt, quorum Genitivus exit in *Inis, Entis, Itis* penultimâ longâ, ut: *Salamis, Simois, Samnis, lis.*

Ovid. *Hæc ibat Simois, hæc est Sigeia, tellus.*

Hor. *Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est.*

D

EX:

GRAMMAT. INSTIT.

EXCEPTIO III.

PRoducuntur hæc adverbia : *Aferis*, *cumprimis*,  
*imprimis*, *deforis*, *foris*, *gratis*, *omnimodis*. Bis est  
commune.

*Ris* ultima futuri Coniunctivi modi ferè semper  
corripitur.

Mart. *Is mihi, dives eris, si causas egeris, inquit.*

Interdum reperitur hoc tempus longum : quòd  
tamen aliqui Cæsurae tribuunt.

Ovid. *Da mihi te placidum, dederis in carmina vires.*

Os, in fine.

Os, finita longa sunt, ut : *Os oris*, *erectos*, *Tros*,  
*Minos*, *Heros*, *Athos*, *Androgeos*, & cætera, quæ perco  
scribuntur.

Ovid. *Os homini sublime dedit, cælumque videre  
iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

Virg. *Tros Anchisiade, facilis descensus averni.*

Virg. *Primus se Danaum magnâ comitante catervâ  
Androgeos offert nobis.*

EXCEPTIO.

CORripere *Os* *Ossis*, *exos*, *compos*, *impos*, & *prapós*, &  
Græca neutra, ut : *Chaos*, *Melos*, *Argos*.

Virg. *Et Chaos, & Phlegeton loca nocte silentia latè.*

Item *os* finita, quæ ad secundam latinam declina  
tionem transeunt, ut : *Tyros*, *Arctos*, *Ilios*.

Lucan. *Et Tyros: instabilis, preciosâque murice Sidon.*

Mart. *Nescia nec nostri nominis Arctos erat.*

Omnes

### LIBER III.

Omnes denique interrogandi casus, à quibuscu-  
cunque rectis proficiscantur, ut: *Arcados, Pallados, Typhoëos,*  
*Tethyos, Tereos.*

Ovid. *Arcados hinc sedes, & inhospita tecta Tyranni*  
*Ingredior.*

Ovid. *Alta jacet vasti super ora Typhoëos Ætna.*

Luc. *Tethyos unda vaga lunaribus aestuet horis.*

Us, in fine.

VS syllaba terminata brevia sunt, ut: *Littus, intus,*  
*sensibus, & nominandi Vocandique casus singu-*  
*lares quartæ declinationis, ut: Domus, manus.*

Virg. *Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.*

Idem. *Apparet domus intus, & atria longa patefcunt.*

Idem. *Hic Dolopum manus, hic servus tendebat Achilles.*

### EXCEPTIO.

Excipe monosyllaba, ut: *Plus, rus, thus, grus,*  
*mus, sus, &c.*

Lucan. *Plus illa vobis acie, quàm creditis actum est.*

Et quæ crescunt in obliquis, penultimâ longâ, ut:  
*Salus, tellus, palus, & nomina quartæ declinationis,*  
præter casus ante dictos, ut: *Aditus, vultus.*

Ovid. *Mox etiam fruges tellus in arata ferebat.*

Idem. *Juncta palus huic est, densis obsessa salictis.*

Mart. *Hes aditus urbem Martis habere decet.*

Denique Græca nomina, quorum genitivus exit  
in untis, ut: *Opus, Amathus* & quæ ex  $\alpha\upsilon\delta\epsilon\tau$  &  $\alpha\delta\epsilon\sigma\upsilon\varsigma$  &  $\alpha\delta\epsilon\sigma\upsilon\varsigma$  &  $\alpha\delta\epsilon\sigma\upsilon\varsigma$  &  $\alpha\delta\epsilon\sigma\upsilon\varsigma$   
podos componuntur, ut: *Tripus, Melampus* quæq; ex  
Oos contrahuntur, ut: *Panthus* ex *Panthoos*; item geni-

## GRAMMAT. INSTIT.

tivus à foemininis in O, ut: *Manto, Mantus: Clio, Ctius.*  
*Virg. Est Amathus, est celsa mihi Paphus, atq; Cythera.*  
*Idem. Panthus Otriades arcis, Phœbique sacerdos.*  
*Idem. Eatidice Mantus, & Tusci filius amnis.*

Huc etiam JESUS sacrosanctum Domini atque  
Redemptoris nostri nomen spectat.

## A P P E N D I X.

US finita non contracta, ab Os syllaba profecta  
corripiuntur, ut: *Pamphagus, Oribasus, Polypus:*  
quorum ultimum Æoles per Os scribunt, *πόλυπος,*  
unde à Latinis, per us effertur, ultimâ brevi.

*Ovid. Pamphagus, & Dorceus, & Oribasus.*

*Arcades omnes.*

*Horat. Polypus, an gravis hirsutis eubet hircus in alis.*

## DE SYLLABA COMMUNI.

COMMUNIS syllaba, ut supra diximus, est, quæ  
modò brevis, modò longa apud Poëtas reperi-  
tur.

### P R Æ C E P T U M I.

De syllabâ communi.

ET Diphthongus, & vocalis longa communes  
fiunt, cum vocalem diversæ dictionis præcedunt.

### B R E V E S.

*Virg. Insulæ Ionio in magno: quas dixit Celano.*

*Idem.*

### LIBER III.

Idem. *Victor apud rapidum Simoenta sub Illo alto.*

Idem. *Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?*

Horat. *Si me amas, inquit, paulum hic ades: inteream, si  
Aut valeo stare, aut novi civilia jura.*

Propert. *Tu quoque ô Eurytion &c.*

### LONGÆ.

Virg. *Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur.*

Idem. *Stant & juniperi, & hirsuta.*

Idem. *Lamentis, gemituque, & foemineo ululatu  
Tecta fremunt.*

Idem. *Et succus pecori, & lac subducitur agnis.*

Juven. *Quis caelum terris non misceat, & mare caelo,  
Si fur displiceat Verri? homicida Miloni?*

Ovid. *O ego quantum egi, quàm vasta potentia nostra est.*

### BREVES ET LONGÆ in eodem versu.

Virg. *Glauco, & Panopeæ & Inoo Melicerta.*

Idem. *Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.*

### PRÆCEPTUM II.

**M**onosyllaba brevia, interdum à Poëtis more  
Græcorum producuntur.

Virg. *Liminaque laurusque Dei, totusque moveri.*

Juven. *Et animam, & mentem, cum quâ dii nocte lo-  
quuntur.*

GRAMMAT. INSTIT.

P R Æ C E P T U M III.

Syllaba brevis post quatuor primos pedes, maxime secundum & tertium, relicta, nonnunquam à Poëtis producitur.

SYLLABA BREVIS POST  
primum pedem producta.

Virg. Pectoribus inhians spirantia consulit *eta*.

Idem. Oratis? equidem, & vivis concedere vellem.

Juv. Quis nescit? aut qui non vidit vulnera pali?

Mart. Meque si quis omnis, me manus omnis habet.

POST SECUNDUM.

Virg. Hic primum ex alto delubri culmine telis.

Nostrorum obruimur: oriturque miserrima cades.

Idem. Emicat Euryalus, & munere victor amici.

Idem. Nam tibi Thymbre caput Evandrius abstulit ensis.

Stat. Namque senex Thetidi Proteus pradiixerat ude.

Mart. Det tunicam dives: ego te pracingere possum.

Idem. Maximus ille tuus, Ovidi, Calonius hic est.

POST TERTIUM.

Virg. Ostentans artem pariter, arcumque sonantem.

Idem. Dona dehinc auro gravia, scd ôque elephanto  
Imperat ad naves ferrâ

Idem. Congredior fer sacra pater, & concipe sædus.

Stat. Nequa det indignos Thetidi captiva nepotes.

POST



LIBER III.

POST QUARTUM.

Virg. *Graius homo infectos linquens profugus  
Hymeneos.*

Idem. *Ille tacus niveum mihi fultus hyacintho.*

Idem. *Muneribus, tibi Pampineo gravidus Autumno.*

ADMONITIO.

Histibus præceptionibus non in suis componen-  
dis, sed metiendis veterum Poëtarum carminibus  
utentur tyrones.

PRÆCEPTUM IV.

Vocalis brevis ante mutam & liquidam ejusdem  
dictionis, ut supra dictum, in carmine communis  
est, ut: *Atlas, Volucris, Cleopatra, Patroclus, lugu-  
bris, funebris.*

Ovid. *Tempus Atla veniet, tua quo spoliabitur auro  
Arbor.*

Virg. *Citharâ crinitus Iopas  
Personat auratâ, docuit qua maximus Atlas.*

Idem. *Cùm tacet omnis ager, pecudes, pictaq; volucres.*

Idem. *Affuet a ripis volucres, & fluminis alveo.*

APPENDIX.

Syllaba naturâ longa nunquam corripitur, etiamsi  
muta cum liquida sequatur, ut: *Aratrum, voluta-  
brum, involucrum, salubris, &c.*

GRAMMAT. INSTIT.

P R Æ C E P T U M V.

**V**ltima syllaba versûs communis est : siquidem brevis pro longâ ponitur.

*Virg. Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor.  
Sextus enim pes spondeus est, qui ex duabus longis constat.*

Aut contrâ longa pro brevi.

*Mart. Nobis non licet esse tam disertis.  
Qui musas colimus severiores.*

DE NECESSITATE  
METRICA.

**L**Ex necessitâsque metri cogit Poëtas syllabas breves aliquando producere : velut cùm sunt tres breves continuatæ in carmine Heroico, quod in Italia, Priamide, Arabia, aliisque id genus ulu venit.

*Virg. Ibitis Italiam portusque intrare licebit.*

*Idem. Atque hic Priamidem lanatum corpore toto.  
Deiphobum vidit.*

*Propert. Et domus intacta te tremit Arabiæ*

Aut contrâ longas corripere : ut cùm brevis inter duas longas est.

*Juven. Fugerunt trepidi vera ac manifesta canentem  
Stoicidæ.*

*Stoicidæ dixit penultimâ brevi necessitate metri  
constrictus ; neque enim hexametrum carmen Cre-  
ticum recipit, qui ex longâ, brevi, & longâ constat.*

DE

## LIBER III.

### DE LICENTIA POETICA.

POËTÆ quibus semper potestas fuit, ut inquit Ho-  
ratus, quidlibet audendi, nullâ coacti necessitate,  
syllabis interdum pro suo jure abutuntur. Tulerunt  
enim, *Dederunt*, & nonnulla alia ejus generis penul-  
timâ correptâ efferunt.

*Virg. Matri longa decem tulerunt fastidia menses.*

*Horat. Dii tibi divitias dederunt, artémque fruendi.*

### DE PEDIBUS.

QUoniam de syllabis tum brevibus, tum longis,  
tum communibus dictum est: superest, ut & de  
pedibus, qui ex ipsis syllabis, & de versu, qui ex pedi-  
bus constat, breviter dicamus.

### QUID SIT PES.

PEs est pars versûs certo syllabarum numero, at-  
que ordine definita.

### P E D E S D U A R U M

syllabarum.

SPondeus constat ex duabus syllabis longis, ut:  
*possunt, omnes.*

Pyrrhichius ex duabus brevibus, ut: *Furor, ruit.*

Choreus, seu ut alii vocant, Trochæus, ex longâ &  
brevis, ut: *Arma, vincor.*

Jambus ex brevi & longâ, ut: *Viros, rogant.*

D 5

PE-

GRAMMAT. INSTIT.

PEDES TRIUM SYLLABARUM.

**M**olossus ex tribus longis, ut: *Aneas, contendunt.*  
Tribrachys ex tribus brevibus, ut: *Facere,*  
*tumidus.*

Dactylus, ex longa, & duabus brevibus, ut: *Cor-*  
*pora, traximus,*

Anapaestus, ex duabus brevibus, & longa, ut: *Ani-*  
*mos, capiunt.*

Bacchius, ex brevi, & duabus longis, ut: *Dolores,*  
*parabant.*

Antibacchius, ex duabus longis, & brevi, ut: *Au-*  
*disse, maturus.*

Creticus seu Amphimacer, ex longa, brevi, &  
longa, ut: *Maximos, audiunt.*

Amphibrachys, ex brevi, longâ, & brevi, ut: *Ca-*  
*debat, Poëma.*

PEDES QUATUOR SYLLABARUM  
ex superioribus compositi.

Dispondeus constat ex duobus spondeis, ut:  
*Oratores.*

Proceleusmaticus ex duobus pyrrhiciis, ut:  
*Abiete.*

Dichoreus ex duobus choreis, ut: *Dimicare.*

Dijambus ex duobus jambis, ut: *Propinquitas.*

Chorijambus ex Choreo & Jambo, ut: *Nobilitas.*

Antipæstus ex jambo & choreo, ut: *Recusare.*

Joni.

### LIBER III.

Jonicus à majore, ex spondeo & pyrrhichio, ut:  
*Calcaribus, cantabimus.*

Jonicus à minore ex pyrrhichio, & spondeo, ut:  
*Diomedes, Lacedæmon.*

### PÆONES.

Pæones quatuor sunt, omnes ex tribus brevibus,  
& unâ longâ constant, hac lege, ut: Primus pri-  
mam habeat longam, secundus secundam, tertius  
tertiam, quartus quartam.

Pæon 1. ex choreo, & pyrrhichio constat, ut: *Aspi-  
cite, temporibus.*

Pæon 2. ex jambo, & pyrrhichio, ut: *Potentia,  
docebimus.*

Pæon 3. ex pyrrhichio & choreo, ut: *Animatus,  
moriamur.*

Pæon 4. ex pyrrhichio, & jambo, ut: *Calamitas,  
obierant.*

### EPITRITI TOTIDEM

sunt, sed superioribus contrarii.

Epitritus I. ex Jambo & Spondeo constat, ut:  
*Repentini, repugnarunt.*

Epitritus II. ex Choreo & Spondeo, ut: *Conditio-  
res, comprobarunt.*

Epitritus III. ex Spondeo & Jambo, ut: *Discordia  
clamaveras.*

Epitritus IV. ex Spondeo & Choreo, ut: *Fortuna-  
tus, pugnabamus.*

### PEDES

## GRAMMAT. INSTIT.

### P E D E S Q U I N Q U E.

QUinque syllabarum pedes inusitati sunt, præter Dochimum, oratoriae compositioni maximè appositum: constat ex jambo & Cretico, ut: *Reipublicæ, perhorrescerent.*

### D E V E R S U.

VErsus est oratio, certo genere, numero, atque ordine pedum alligata.

### C A R M E N H E X A M E T R U M. S I V E H E R O I C U M.

HExametrum carmen constat sex pedibus, quorum quintus dactylus est, sextus spondeus, reliqui dactyli vel spondei.

*Virg. Urbs antiqua ruit multos dominata per annos.*

### A P P E N D I X.

QUintus pes nonnunquam spondeus est: unde versus ille *Spondaicus* appellatur, quo vel rei aliqujus gravitas, & amplitudo, vel ingens moeror, animique angor, vel aliud declaratur. Venustatem huic versui conciliat quarto loco positus Dactylus.

*Virg. Cara deum soboles, magnum Jovis incrementum.  
Idem. Constitit, atque oculis phrygia agmina circumspexit.*

P E N.

## LIBER III.

### PENTAMETRUM

Carmen.

Pentametrum carmen, quod ferè hexametrum comitatur, quinque pedes habet, quorum duo primi dactyli, vel spondei, pro cuiusque arbitrio sunt, adjunctâ syllabâ longâ, quæ cæsura, vel semipes dicitur: cæteri perpetuè sunt dactyli, quibus semipes itidem adiungitur, ut ex utroque semipede quintus pes fiat: vel tertio loco est spondeus, qui alterius verbi fine, alterius initio constat, deinde duo anapæsti.

Ovid. *Omnia sunt hominum tenui pendencia filo,  
Et subito casu qua valere ruunt.*

### SENARIUS JAMBICUS, SIVE Trimeter Jambicus Acatalectus.

Senarius Jambicus, cum purus est, & integer, omnibus in locis jambos habet.

Horat. *Beatus ille qui procul negotiis.*

Omnes sex pedes jambi sunt, totidem enim pedes senarius admittit, unde & nomen invenit. Verùm *Tardior ut paulò gratiorque veniret ad aures*, ut Horat. ait, primo tertio & quinto loco, præter jambum, spondeum, dactylum & anapæstū recipit. Omnibus etiam locis præterquam sexto, Tribrachyn potest recipere. Et apud Senecam aliquoties primo loco Proceleusmaticum invenies.

Horat. *Pavidumque leporem, & advenam laqueo  
gruem fucunda captat præmia.*

DI:

GRAMMAT. INSTIT.  
DIMETRUM JAMBICUM  
Acatalectum.

**D**imetrum Jambicum quatuor recipit pedes : secundo & quarto loco jambos, primo & tertio jambum, spondeum, dactylum, anapaestum : potest etiam in omnibus, præter quartum, Tribrachym admittere.

Horat. *Has inter epulas, ut juvat pastus oves  
Videre properantes domum.*

Subscribitur hic versus interdum eleganter Senario Jambico.

Mart. *Vir Celtiberis non tacende gentibus  
Nostraq; laus Hispania.*

SCAZON SIVE CHOLIAMBUS.

**S**cazon semper quinto loco habet Jambum, sexto verò spondeum : cæteris omnibus cum Senario jambico consentit.

Mart. *Extemporalis factus est meus Rhetor,  
Calpurnium non scripsit, & salutavit.*

ANAPÆSTICUM DIMETRUM  
ACATALECTUM.

**A**napaesticum carmen, quo frequenter in choris utitur Seneca, constat quatuor pedibus, qui præcipuè sunt anapaesti, permixti dactylis vel spondeis, Ità tamen, ut secundo & quarto loco absit dactylus.

Seneca. *Lugeat æther, magnusque parens.*





## LIBER III.

*Aetheris alti, tellusque ferax,  
Et vaga ponti mobilis unda.*

### APPENDIX.

SECUNDUS pes dictionem terminat, qui frequen-  
tissime est spondeus.

### GLYCONIUM,

GLyconium carmen constat spondeo, & duobus  
dactylis, quo Seneca interdum choros scribit.

*Tandem regia nobilis.  
Antiqui genus Inachi,  
Fratrum composuit minas.*

### ASCLEPIADEUM.

ASClepiadeum carmen constat spondeo, duobus  
choriambis, & pyrrhichio, vel spondeo, dactylo,  
& syllabâ longâ, deinde duobus dactylis.

*Horat. Mecœnas atavis edite Regibus.*

### PHALEUCIUM.

PHaleucium carmen quinque pedibus constat:  
spondeo, dactylo, deinde tribus choreis.

*Mart. Commendo tibi Quintiane Nostros;*

*Nostros dicere si tamen libellos  
Possum, quos recitat tuus Poëta.*

### SAPPHICUM CARMEN.

VERSUS Sapphicus quinque pedes hoc ordine ad-  
mittit, Choreum, Spondeum, Dactylum, deinde  
duos choreos: tertio cuique carmini ferè necitur  
Adonius, qui ex dactylo & spondeo constat.

*Horat.*

## GRAMMAT. INSTIT.

**Horat.** *Integer vitæ scelerisque purus.  
Non eget Mauri jaculis, nec arcu.  
Nec venenatis gravida sagittis  
Fusce Pharetrâ.*

### STROPHA HORATIANA.

**H**Æc Stropha dicitur *Horatiana*, quia eâdem frequentius fuit usus Horatius. Est *tricolos*, *tetrostrophos*, sive constat quatuor versibus, quorum tres sunt diversi generis. Ex his quatuor versibus primus & secundus est *Alcaicus Dactylicus*, habetque primo loco *jambum*, vel *spondeum*: secundo loco *jambum*, tum syllabam longam, denique duos *Dactylos*, ut:

*Odi profanum vulgus, & artium;  
Favete linguis &c. Horat.*

Tertius est *Archilochius hypercatalectus*, constatque quatuor pedibus, & unâ syllabâ; primus eorû est *Jambus*, vel *spondeus*: secundus est *Jambus tantum*: tertius est *spondeus*, rarissimè *Jambus*: quartus est *Jambus cû syllaba*, ut: *Tentabo, & arentes arenas. Hor.*  
*Stetere causa, cur perirent. Idem.*

Quartus est *Alcaicus*, *Trochaicus*, constatq; duobus *Dactylis*, & duobus, *Trochæis*, sive *choreis*, ut:

*Compositâ repetantur horâ, Hor.*

Stropha Horatiana hoc modo scribitur:

*Virtus repulsæ nescia sordida  
Intaminatis fulget honoribus:  
Nec sumit, aut ponit secures  
Arbitrio popularis aura, Horat.*

DE

## LIBER III.

### DE CARMINUM DIMENSIONE

**V**ersus metimur pedibus, quibus metiendis non parum prodest *syllaba Communis, Necessitatis metrica, Licentia Poëtica, Figurarumque cognitio.*

#### EPISTYNA LOEPHE.

**E**pisynalœphe quæ & Synecphonestis, & Synæresis appellatur, est syllaba una ex duabus facta: quod fit, cum duæ vocales in unam contrahuntur, ut: *Alvêaria, eâdem, alvêo, eôdem, eôsdem, aureis, ærêi, denariis.*

*Virg. Seu lento fuerint alveâria vimine texta.*

*Idem. Unâ eâdemq; viâ sanguis, animusq; sequuntur.*

Ubi E, & A, in unam syllabam contrahuntur.

*Idem. Assuetæ ripis volucres, & fluminis alvêo.*

*Idem. Uno eôdemque tulit partu, paribusq; revinxit  
Serpentum spiris.*

Ubi E, & O, vocales in unam coalescunt.

*Idem. Atria: dependent Lychni uque aribus aurêis.*

*Idem. Pectora: nec misero clypei mora profuit ærêi.*

Ubi E, & I, in unam syllabam coeunt.

*Mart. Denariis tribus invitas & manè togatum  
Observare jubes atria, Basse, tua.*

Ubi duplex I, in unum contractum est.

**I**dem accidit genitivis Oilei, Achillei, Ulyssæi, & Dativis, Ablativisque Tereo, Typhoeo & similibus, interdum & accusativo Typhoea.

E

Virg.

GRAMMAT. INSTIT.

Virg. Unius ob noxam & furias Ajacis Oilei.

Idem. Littora Achaemenides comes infelicis Ulysses.

Idem. Inarime Iovis imperiis imposta Typhoeo.

Ovid. Degeneras, scelus & pietas in conjugē Terēo.

Idem. Nè quo centimanum dejecerit igne Typhoeo.

Nunc armatur eo.

Ubi in primis duobus E, & I, in tertio & quarto E, & O. in ultimo versu E, & A, in unam syllabam coalescunt.

In superiorum contractione, delectu & auctoritate opus est; at horum *caei, huic, dij, dijs, ij, ijdeon, ijs, ijsdem, usqueadeo*, omnibus uti licet: Item adverbiorum, *deinde, dein, deinceps, dehinc*, & verbi *deest, deerat, deerant, deerit, deerunt, deesse*, & eorum, quæ ex Semi, componuntur, ut: *Semianimis, Semihomo*.

Ovid. *Juncta palus huic est densis obsessa salictis.*

Luc. *Sed venient majora metu: dii vota secudent.*

Idem. *Iidem, cum fortes animo precepta subissent, Operare diem.*

Idem. *Usqueadeo miserum est civi vivere bello.*

Stat. *Dehinc sociare choros, castuq; accedere sacris Hortantur.*

Luc. *Non ulli comitum sceleris prasagia deerant.*

Mart. *Sint Mecenates, non deerunt Flacce Marones,*

Luc. *Semianimes alij vastum subiere profundum.*

Virg. *Semihominis Caei: facies quam dira tegebat.*

Huc etiam spectat *anteambulo, antebac, anteit*, & si quæ præterea sunt.

Mart. *Sui comes ipse tuus, tumidique anteambulo regis.*  
Luc.

## LIBER III.

Luc. *Plurimaq; humanis antehac incognita mensis.*

Virg. *Qui candore nives antehac, cursibus auras.*

### SYNALOEPHE.

Synalœphe est, cum vocalis, aut diphthongus præcedentis dictionis à sequenti excipitur, & quodammodo absorbetur.

Virg. *Atque ea diversa penitus dum parte geruntur.*

Idem. *Conticuere omnes, intentique ora tepebant.*

Idem. ... *clamorem ad sidera tollunt.*

*Dardanidæ è muris spes addita suscitât iras.*

### EXCEPTIO I.

O & Heu sequente vocali aut diphthongo integra manent.

Virg. *O pater, ô hominum, Divûmq; eterna potestas.*

Stat. *heu ubi sideris vultus? ubi verba ligatis*

*Imperfecta sonis?*

### APPENDIX I.

Interdum nec vocalis, nec diphthongus, ut supra diximus, à sequenti vocali excipitur.

Virg. *Glauco & Panopæ, & Inoo Melicerta.*

Idem. *Posthabita coluisse Samo, hinc illius arma.*

Id quod multò rarius accidit, si vocalis brevis sit.

Idem. *Et vera incessu patuit Dea: ille ubi matrem.*

### APPENDIX II.

Synalœphe non solum in eodem carmine, sed etiam in diversis locum habet.

E 2

Idem.

## GRAMMAT. INSTIT.

Idem. *Et spumas miscent argenti, vivaque sulphura,  
Ideasque pices.*

Virg. *Inseritur vero ex fetu nucis arbutus horrida,  
Et steriles platani, &c.*

Idem - *quibus orbis in oris.*

*factemur doceas, ignari hominumque loco-  
rumque.*

*Erramus.*

In his atque similibus locis ultima vocalis præcedentis versûs excipitur, atque absorbetur à prima sequentis.

## ECTHLIPSIS.

Ecthlipsis est, cùm M, littera simul cum vocali eliditur propter sequentem vocalem.

Virg. *Italiam, Italiam primus conclamat Achates.*

Persius. *O curas hominum, ô quantum est in rebus  
inane.*

## APPENDIX I.

Prisci M, litteram cum vocali correptâ servabant.

Lucret. *Nam si tantundem est in lana glomere, quantum  
Corporum in plumbo est, tantundem pendere par est.*

Ennius *In finita ferè tum millia militum cæto.*

*Ubi Corporum, & militum Dactyli sunt.*

## APPENDIX II.

Ecthlipsis etiam in diversis carminibus locum habet.

Virg.

### LIBER III.

Virg. *ſamque iter emenſi turres ac teſta Latinorum  
Ardua cernebant juvenes, murósque ſubibant.*

Idem. *Aut dulcis muſti Vulcani decoquit humorem,  
Et foliis undam tepidi deſpumat aheni.*

### APPENDIX III.

PRiſci Poëtae S, litteram paſſim elidebant : quod  
ſi deinde concurrerent vocales, prior à poſteriore  
per Synalœpham excipiebatur.

Enn. *Doctus, fidelis, ſuavis homo, facundus, ſubque,  
Contentus, atque beatus, ſcitus, ſecunda loquens in  
Tempore, commodus, & verborum vir paucorum.*

Ubi, *Doctu ſi, cundu ſu*, dactyli ſunt, in ſecundo verſu  
ex primo verbo exteritur S. deinde fit ſynalœpha ſic:  
*Content' atque be.* Rariſſimè apud poſteros videas  
hanc litteram extritam.

Cic. *Delphinus jacet haud nimio luſtratus nitore.  
Alcineus Longè erit à primo quiſquis ſecundus erit.  
Ubi Luſtratus & quiſquis S,* amittunt.

### DIÆRESIS.

DIÆresis eſt, cùm ſyllaba una in duas dividitur, ut:  
*Aurai* triſyllabum, pro *aura* diſſyllabo, *ſylvia*  
*evoliam, evoluiſſe, hœu, perſolviendus, ſuavis,* tam apud  
Comicos diſſyllabum.

Virg. *Æthereum ſenſum, atque aurai ſimplicis ignem.*

Hor. *Nivesq; deducunt ſœvem, nunc mare nunc ſylvia.*

Catull. *Conditæ quin veri prætoris evoliam.*

E 3

Ovid.

## GRAMMAT. INSTIT.

Ovid. *Debuerant fusos evoluisse suos.*

Catui. *Pristina vota novo munere dissoluo.*

Ovid. *Vita data est utenda, data est sine foenore nobis  
Mutua, nec certâ perfoluenda die.*

Mart. *Heu quàm bene nunc Papyriano.*

Virg. *Non lux, non cibus est suavis illi.*

## SYSTOLE.

SYSTOLE est, cum syllaba natura longa corripitur.

Virg. *Cùm subito assurgens fluctu nimbosus Orion.*

Idem. *Ille autem paribus quas fulgere cernis in armis.*

Idem. . . . totumque instructo Marte videres.

*Fervere Leucaten, auròque effulgere fluctus.*

Sil. *Terruerunt pavidos accensa Ceraunia nautas.*

Aur positione longa, sed altera consonante extrita,  
ut: *Obicis pro objicis: abici pro abjici.*

Lucan. *Cur obicis magno tumultum, manesque vagantes?*

Ovid. *Turpe putas abici, quod sim miserandus amicis.*

## ECTASIS, SIVE DIASTOLE.

ECTASIS est, cum syllaba naturâ brevis simpliciter producitur.

Virg. *Italiam fato profugus, Lavinâque venit  
Littora.*

Stat. . . . . *Seu castra subire.*

*Apparet: aut celsum crebris arietibus urbis  
Inclinare latas.*

Quod aliquando faciunt Poëtae, necessitate metri compulsi, praesertim in nominibus Propriis, quae alioqui ingredi carmen non possunt.

Virg.



L I B E R III.

Virg. *At hîc Priamidem laniatum corpore toto.*

*Aut cum eadem consonans geminatur, ut: Relligio, relliquia, repperit, rettulit, reppulit.*

Virg. *Relligione patrum multos servata per annos.*

Idem. *Troas relliquias Danaûm, atque immitis Achillæi.*

Idem. *Vir bonus, & sapiens: qualem vix repperit ullum.*

Hor. *Rettulit acceptos, regale numisma, Philippos.*

Lucan. *Reppulit à Lybicis immensum Syrtibus aquar.*

*Aut I, & V, vocales in consonantes mutantur.*

Virg. . . . *cujus apertum.*

*Adversi longa transverberat abiete pectus.*

Idem. *Mœnia quæque imo pulsabant ariete muros.*

Idem. *Abietibus juvenes patriis, & montibus aquos.*

Idem. *Herent parietibus scala, postæque sub ipsos.*

Sil. *Arietat in primos, obicitque inmania membra.*

*In his & similibus locis, I, vocalis fit consonans: itaque abiete, ariete dactyli sunt.*

Idem. *Tenuia nec lana per calum velleræ ferri.*

Idem. *Genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus.*

*In his, V, vocalis in consonantem migrat: quare Tenuia Dactylus est, & genua Chorus.*

*Hæc est Probi sententia. Sunt, qui existiment esse Proceleusmaticum. Neque mirari debes, si vocales mutantur in consonantes, cum eadem literæ consonantes interdum in vocales vertantur: ut dissolvis, pro dissolvo & cætera, quæ per Diæresim in duas syllabas dividuntur.*

# GRAMMAT. INSTIT.

## DE CÆSURA.

SI Pedes, maximè versûs Heroici, è singulis verbis constant, ineptum & insulsum fit carmen, ut:

*Aurea scribis carmina fuli maxime vatum.*

Contrà, si verba concidantur, ita ut mutuo amplexu pedes alii ex aliis pendeant, pulcherrimus efficitur versus:

*Virg. Semper honos, noménque tuum, laudésque manebunt.*

*Idem. Non ignara mali miseris succurrere disco.*

*Idem. Iustitiaq<sub>3</sub> dedit gentes frenare superbas.*

*Idem. Ere ciere viros, Martémque accendere cantu.*

Syllaba, quæ ex dictione cæditur, ac post quemvis pedem relinquitur, vulgò cæsure dicitur: cujus tanta est vis, ut ejus beneficio brevis syllaba producatur: est enim quoddam in ipsa divisione verborum latens tempus: nam dum in unâ syllabâ moramur, atque ad alias transimus, intervallum unum, spatiûmq<sub>ue</sub> lucratur.

*Virg. Pectoribus inhians spirantia consulit exta.*

*Idem. Emicat Euryalus, & munere victor amici.*

*Idem. Una eâdemq<sub>3</sub> via sanguis, animûsque sequuntur.*

*Idem. Grajus homo infectos lînquens profugus Hymeneos.*

Vides, ut syllabæ naturâ breves post primum, secundum, tertium, & quartum pedem producantur: id beneficium cæsurae acceptum referunt.

▲ P.

LIBER III.

APPENDIX.

**A** Napæstici versus optimi putantur, si pedes singuli è singulis fiant verbis.

Senec. *Nondum sera nuncius hora,*

Idem. *Curvo brevius limite currens.*

Qui tamen perpauca sunt, si cum aliis conferantur.

Idem. *Pectora longis hebetata malis.*

*Fam sollicitas ponite curas:*

*Fugiat mæror, fugiatque pavor.*

Ne te illud prætereat. Anapæsticum versum nonnunquam pedem Anapæstum habere nullum, id quod primi duo versiculi aperte docent.

DE PENTHEMIMERI.

*Hephthemimeri, &c.*

**V**eteres Grammatici versum Heroicum in quatuor partes secant, quas sectiones sive cæsuras appellant, nimirum in Penthemimerim, Trochaicam, Hephthemimerim, Bucolicam sive Tetrapodiam.

Penthemimerus Latinè *semiquinaria*, constat ex duobus pedibus, & syllabâ, quæ dictionem claudat, ut:

Virg. *Ut belli signum.*

Idem. *Panditur insereâ.*

E s

Idem.

## GRAMMAT. INSTIT.

Idem. *Turnus ut infractus.*

*Trochaica* post duos pedes habet duas syllabas, longam & brevem, sive trochæum, qui dictionem terminet, ut:

Virg. *Non omnes arbusta.*

*Hepthemimeris*, Latine *semiseptenaria*, continet tres pedes, & syllabam, quæ dictionem finiat, ut:

Virg. *Talibus Ilioneus: cuncti.*

Idem. *Multa super Priamo rogitans.*

Idem. *Terram inter fluctus aperit.*

*Bucolica* seu *Tetrapodia* fit, si *semiseptenaria* duas breves adjunxeris, ut:

*Talibus Ilioneus cuncti simul, &c.*

*Multa super Priamo rogitans, super, &c.*

*Terram inter fluctus aperit: furit, &c.*

Hanc tamen postremam ajunt propriam esse *Bucolici carminis*, quâ *Theocritus* plurimum est usus.

## A P P E N D I X.

*Versus*, qui *Heroico nomine* digni censentur, modò cæsuram unam habent, ut:

*Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce.*

*Panditur interea domus omnipotentis Olympi.*

*Turnus ut infractus adverso Marte Latinos.*

*Ubi omnes solam semiquinariam habent.*

Modò

## LIBER III.

Modò duas, ut:

*Non omnes arbutta juvant, humilésque myrica.*

*Infandum Regina jubes renovare dolorem.*

*Excitens cervice toros fixúmque latronis.*

Omnes Trochaicá & semiseptenariâ constant.

Modò tres, ut:

*Talibus, Ilioneus: cuncti simul ore fremebant.*

*Multa super priamo rogitans, super Hectore vultu.*

*Ferram inter fluctus aperit: fuit estus arenis.*

Omnes & semiquinariam, & semiseptenariam,  
& Bucolicam habent.

---

## DE VERBIS POETICIS.

Verborum licentiâ liberiores multò sunt Poëtae,  
quàm Oratores; quibus assidue, accuratèque  
legendis, non solum verba, sed etiam cætera orna-  
mentalis, qui poëtica studio tenentur, diligentissime  
sunt observanda.

## DE PATRONYMICIS.

Propria eorum sunt, quæ à Grammaticis  
Patronymica vocantur, quòd à patrum,  
majorúmque nominibus facta filium, aut  
filiam, nepotem, aut neptem, aut ex posteris  
aliquem



LIBER III.

APPENDIX I.

**P**atronymica non solum à patribus, avis, proavis, abavis, atavis, tritavis, aliisque majoribus deducuntur, sed etiam à matribus, ut: Iliades, pro Romulo, ab Iliis: Philyrides sive Chiron Centaurus à Philyrâ.

Ovid. Invadunt, portasque petunt, quas obice firmo  
Clauserat Iliades.

Idem. Philyrides puerum cithara perfecit Achillem.

Item à fratribus, ut: Phoronis, Io, seu Isis.

Phoronei soror: Phaëtonias, Soror Phaëtonis.

Idem. Nec superum rector malatanta Phoronidos  
ultra.

Ferre potest.

Virg. Iam phaëtoniadas museo circumdat amara  
Corticis.

**A** Regibus prætereà & conditoribus, ut: Romulidæ, Romani à Romulo: Dardanidæ, Trojani à Dardano: Æneadæ, ab Ænea: Cecropidæ, Athenienses à Cecrope.

Persius - - inter pocula quarunt.

Romulidæ saturi quid dia poemata narrent.

Virg. Dardanidæ magni genus alto à sanguine divum.

Idem. Æneadæque meo nomen de nomine fingo.

Ovid. Phocus in interius spatium pulchrosque recessus  
Cecropidas duxit.

Latois in genitivo Latoidis, vel Latoides pro Diana  
ἀλητῶ Latorâ.

Ovid. Præteritas sessasse ferunt Latoidos aras.

AP.

GRAMMAT. INSTIT.

APPENDIX II.

MULTA à regionibus, urbibus, montibus, fontibus, fluvijs, aliisque rebus fiunt, quæ formam quidem Patronymicam habent, re autem vera gentilia sunt, aut pro possessivis, adjectivisque nominibus ponuntur, ut: *Asis, Libystis, Italis, Ausonis, Sarmatis, Colchis, Sithonis, Thessalis, Sicelis, Sidonis, Ilias, Troas, Erymantis, Mænalis, Pieris, Tritonis, Pegasus, Phasis, Phœbas.*

*Ovid. - - - celerique carinâ.*

*Ægeas metiris aquas, & in Ælide terra  
Mœnia constituis.*

*Sil. Ad quem Cymodoce Nympharum maxima natu  
italidum.*

*Virg. - - - occurrit Acestes.*

*Horridus in jaculis, & Pelle Libystidis urse.*

*Ovid, Nomen Arionium Siculas impleverat urbes:  
Captaque erat lyricis Ausonis ora sonis.*

*Idem. Sarmatis est tellus, quam mea vela petunt.*

*Idem. Nec ve hit Actææ Sithonis unda rates.*

*Virg. Interea ad templum non aqua Palladis ibant  
Crinibus Iliades passis.*

*Ovid. Troades exclamant: obmutuit ille dolore.*

*Idem. Cùmque truci Borea Mænalis urse videt.*

*Idem. Vectam franatis per inane draconibus Æ-  
geus.*

*Credu-*



## LIBER III.

*Credulus immeritâ phasida fovit opé.*

Luc. *Limine terrifico metuens, consistere Phœbas.*

### PATRONYMICA MASCULINA quo pacto formentur.

#### PRÆCEPTUM I.

**N**omina in A. finita, assumunt Des syllabam, ut:  
*Iliæ, Iliades.*

As terminata assumunt De syllabam ante s, ut:  
*Æneas, Æneades, Pheretias, Pheretiades.*

Ovid. *Cùmque Pherætiade & Hyanteo Iolao.*

#### EXCEPTIO.

**A** Finita aliquando ipsum A, mutant in I, ut:  
*Philyra, Philyrides.*

As terminata interdum I ante A assumunt, ut:  
*Amyntas, Amyntiades, &c.*

Ovid. *Aut ut Amyntiaden, &c.*

*Æneides* Julius Æneæ filius fit à Græco *ἄνεϊας*,  
sublato A. *Æneiades, Æneides.*

Virg. *Atque his utentem dictis affatur Iulum.*

*Sit satis Æneide, telis impùnè Numanum  
Oppetuisse tuis.*

PRÆ.

GRAMMAT. INSTIT.

PRÆCEPTUM II.

ES finita, mutant Es in Ades, ut: *Hippotes, Hippotades, Æolus Hippotæ filius.*

Ovid. *Clauserat Hippotades aeterno carcere ventos.*

EXCEPTIO.

HÆc sæpè I, ante A, admittunt, ut: *Anchises, Anchisiades, Laërtes, Laertiades.*

Virg. *Æneas, Anchisiades, & fidus Achates.*

Ovid. *Saxa moves gemitu, Laertiadæque precaris*

PRÆCEPTUM III.

NOMINA secundæ declinationis us finita, in genitivo assumunt Des syllabam penultimâ brevi, ut: *Æacus, Æaci, Æacides: sic Priamides, Æolides, Tantalides.*

Virg. *Misenum Æoliden, quo non præstantior alter.*

Ovid. *Priamidénque Helenum raptâ cum Pallade captum.*

Idem. *Tantalides tu sis; tu Tereique puer.*

EXCEPTIO I.

NONnulla penultimam habent longam, ut: *Belides, Lycurgides, Amphiaraides.*

Virg.









LIBER III.

APPENDIX II.

**F**Oeminina, quæ à masculinis fiunt, penultimâ longâ, in EIS desinunt, solutâ diphthongo, atque E, brevi in longum verso, ut: *Aeneides, Aeneis, Aeneidos; Achilleides, Achilleis, Achilleidos; Theseides, Theseis, Theseidos.*

Ovid. *Et tamen ille tua felix Aeneidos author.*

Stat. *Vive precor: nectū divinam Aeneida tenta.*

Juv. *Semper ego auditor tantūm? nunquā mne reponam.*  
*Vexatus toties rauci Theseide Codri?*

EXCEPTIO.

Nonnunquam penultima brevis manet.

Ovid. *Res quoque tanta fuit, quanta subsistere summo Aeneidos vati grande fuisset opus.*

PRÆCEPTUM II.

**NE**, finita à genitivo fiunt, additâ Ne syllabâ penultimâ longâ ut: *Neptunus, Neptuni, Neptunine; sic Adrastine, Nerine à genitivis Adraſti, Nerei; E. & I. mutatis in I. longum. Quod si primigenium I. ante Os habeat, mutabitur Os in One, penultima productâ, ut: Acrisios ἀκρισιώνη Acrisione, Danae Acrisii filia.*

Cat. *Téne Thetis genuit pulcherrima Neptunine.*





LIBER III.

EPENTHESIS, ἐπένθεσις.

EPenthesis est, cū medio dictionis litera, aut  
syllaba interjicitur, ut: *Reliquias*, pro reliquias;  
*Mavors*, pro Mars; *Navita*, pro nauta.

Virg. *Troas reliquias Danaum atque immitis,*  
*Achillei.*

Idem. *Fecerat & viridi foetam Mavortis in antro*  
*procubuisse lupam.*

Ovid. *Quid tibi cum gladio? dubiam rege navita pup-*  
*pim.*

PARAGOGE, παραγωγή, SEU PROPARA-  
LEPSIS, προπαραλύψις.

PARagoge, seu Proparalepsis dicitur, cū extrema  
syllabæ, aliquid adjungitur, ut: *Deludier*, pro de-  
ludi; *Admittier*, pro admitti.

Terent. *Ubivis facilius passus sim, quam in hac re me*  
*deludier.*

Virg. *Tum Nisus, & unà.*

*Euryalus confestim alacres admittier orant.*

APHERESIS, ἀφαιρεσις.

Litera vel syllaba principio dictionis subtracta,  
aphæresis appellatur, ut: *Ruo*, pro eruo, *Temno*,  
pro contemno.

Virg. --- *Dabit ille ruinas.*

*Arboribus fragémque satis, ruct ruina latè.*

GRAMMAT. INSTIT.

SYNCOPE, συκοπή.

SYncope literam, vel syllabam è medio dictionis subtrahit, ut: *Gubernaclo* pro gubernaculo; *periclis*, pro periculis; *vixet*, pro vixisset; *extinxem*, pro extinxissem.

Virg. *Cumque gubernaclo liquidas projecit in undas precipitem.*

Idem. - - *Hic me Pater optime fessum*

*Deseris, heu tantis nequicquam erepte periclis.*

Idem. *Vixet cui vitam Deus, aut sua dextra dedisset.*

Idem. - - *Gnatumque patremque.*

*Cum genere extinxem, memet super ipsa dedissem.*

APOCOPE, ἀποκοπή.

APocope fini dictionis aliquid detrahit, ut: *Tuguri*, pro tugurii. *Oti* pro Otij.

Virg. *Pauperis & tuguri congestum cespite culmen.*

Idem. *Illo Virgilium me tempore dulcis alebat.*

*Parthenope, studiis florentem ignobilis oti.*

ANTITHESIS, ἀντιθεσις.

ANtithesis est literæ commutatio, ut: *Olli*, pro illi.

Virg. *Ollicaruleus supra caput astitit imber.*

## LIBER III.

### METATHESIS, Μεταθεσις.

**M**etathesis est litterarum ordo immutatus, ut:  
*Thymbre pro ThyMBER.*

Virg. *Non tibi Thymbre caput Evandrius abstulit ensis.*

Nisi quis putet nominandi casu tum *ThyMBER*,  
tum *ThymBRUS* dici, ut: *Evander & Evandrus.*

### A P P E N D I X.

*Synalœphe, Episyualœphe, Diæresis, Ecclipsis, Systole, Diastole,* sunt etiam *Metaplasmi* species, de quibus supra egimus.

## DE PROSODIA.

**G**Ræci Προσῳδία; Latini *accentus, tenores, &*  
*interdum tonos* vocant.

*Accentus* rector est, ac moderator pronuntiatio-  
nis: eo enim vel attollitur, vel dejicitur vox, vel  
partim attollitur, partim dejicitur. Unde ipsum  
non immeritò quidam vocis animam appellarunt.

### A C C E N T U S T R E S.

**T**Res sunt tenores, *Acutus, Gravis, Circum-*  
*flexus.* *Acutus* attollitur syllaba: *Gravi* deprimi-  
tur, ut: *Pópulus* antepenultima acuitur, penultima  
verò & ultima deprimuntur, gradatimque descen-  
dunt. *Acuti* nota è sinistra in dexteram obliquè  
ascendit: *Gravis* à summo in dextram obliquè  
descen-

F c

## GRAMMAT. INSTIT.

descendit, accentu circumflexo partim attollitur, partim deprimitur syllaba, ut: *Romanus*: eius nota ex acuto, & gravi constat; sonus hodie incertus est: siquidem latinæ linguæ hospites, veterisque pronuntiationis signari, eodem penitus sono tum acutas, tum flexas voces efferimus.

Acutus in penultima, & antepenultima locum habet. Circumflexus in penultima tantum. Gravis ubi uterque abest. Verum hoc tempore usus addendi accentus ferè abolevit, subintelligitur tamen.

### PRÆCEPTUM I.

Nullius verbi Latini ultima syllaba, auctore Quintiliano aut acuitur, aut circumflebitur. Quare *palam, una, alias*, & cætera id genus adverbia, prima acuta sunt pronuntianda. Nec te moveat, quòd ultima, à Typographis gravi accentu notentur; id enim tantum fit, ut adverbia esse intelligas.

### PRÆCEPTUM II.

Dictio unius syllabæ naturâ brevis, aut positione solùm longa, acuitur, ut: *at, ast, fax, dux*.

### PRÆCEPTUM III.

Dictio monosyllabica naturâ longa, aut positione simul & naturâ circumflebitur, ut: *Môs, Rôs, Lûx*. Verùm in monosyllabis Accentus hodie non dignoscitur.

PRÆ.

## LIBER III

### PRÆCEPTUM IV.

**IN** dissyllabis prior naturâ longa, vel positione simul & naturâ circumflatur, dummodo posterior sit brevis; ut: *Cactûs, aûdit, estûs, mœstûs, matrûs, frâtrûs*: alioquin acuitur, ut: *Æstûs, dîrma, sîror*.

In pronuntiatione semper prima attollitur, & ultima deprimitur; ut: *Amant, Deus, eos, &c.* Excipe vocabula, quæ Apocopen sunt passa; illa enim attolluntur in ultima; ut: *Prain, dein, exin*; pro *proindè, deindè, exindè. Ain? viden? &c. pro aîme, vidésne.*

### PRÆCEPTUM V.

**IN** polysyllabis est semper observanda penultima; quæ circumflatur si longa fuerit naturâ, aut naturâ simul & positione: dummodo ultima sit brevis, ut: *Amîcus afflîgit, arâtrum, pâlestra, anâpastus*: alioquin acuitur, ut: *Românos, Victôres, Marcellus.*

### PRÆCEPTUM VI.

**IN** polysyllabis semper acuitur antepenultima, si penultima sit brevis, ut: *Dominus, solicius.*

GRAMMAT. INSTIT.  
DE PRÆPOSITIONUM TONO.

PRÆpositiones suis casibus præpositæ olim eodem tenore simul cum ipsis efferebantur, ac si una tantum vox esset: at nunc, uti sunt voces duæ, ita etiam ut tales efferuntur, ut: *Per forum, ab eo, ad Deum &c.*

Composita omnia ex Præpositione olim atrollebantur in primâ, & deprimebantur in secundâ, at nunc si penultima sit longa, in secunda atrolluntur, ut *proindè, perindè, &c.* Si verò penultima sit brevis, deprimuntur in secunda, ut: *Aforis, deforis, propalam, &c.*

DE GRÆCIS VERBIS.

VERBA Græca, si græcè scribantur, græco accentu pronuntiantur, ut: *παραιπιπομένων*, penultimâ acutâ, *λιθόστρωτος*, acuta ante penultima. At si latinè scribantur, quia tum latinitate censentur donata, non secundum Accentum, sed secundum quantitatem pronuntiantur, ut: *Paralipómenon* penultimâ brevi, quia est epsilon. *Epigrámmaton*, quia alpha est breve; *Lithóstratos*, quia est omega, &c.

In *Philosophia Symphonia* & similibus, usus habet, ut pronuntientur secundum accentum, apud nos penultimâ longâ. *Scenopégia* & similia, quia penultima neque accentu, neque quantitate producitur, penultima brevi efferuntur.

APPENDIX.

IN Græcis dictionibus, si duæ vocales concurrunt, ne in carmine quidem eliditur prior, nisi in ipsis libris antè extrita per apostrophem fuerit. Quare cum

Κύριε

### LIBER III.

Κύριε ἐλέησον, septem syllabis constat, totidemque vocalibus salvis & integris scribatur, nulla prorsus est omittenda.

### DE HEBRÆIS VOCIBUS.


Quæ Hebræa omninò sunt, neque latinitate donata, Hebræo tono pronuntiantur, ut: *Amén*, *Cherubím*, *Seraphím*, quæ acutâ extremâ, ut pleræque alia efferuntur. Verùm in his usus est observandus.

### APPENDIX.

Quæ à Græcis & Hebræis ad Latinos defecerunt, Latinorum normâ metienda sunt, ut *idolum* mediâ longâ, quia in græco est omega. Sara ad Latinis priore acutâ efferitur: quia declinatur, ut *Musa*, cum ab Hebræis Satá posterior acuatur. Sed hæc hæc hactenus.


F I N I S.







A



AB: 37



*Handwritten cursive text, partially obscured by a stain.*


*Handwritten text, possibly 'LII'.*


*Handwritten text 'V 17'.*

ULB Halle 3  
006 567 614  


*Handwritten text at the bottom left, including 'LIII' and other illegible characters.*







EMMANUELIS  
ALVARI  
E SOCIETATE


JESU.  
DE GRAMMATICA

Institutione

LIBER TERTIUS,

Sive

*De Syllabarum Dimensione,  
Scholiis Auctoris prætermittis.*



COLONIÆ AGRIPPINÆ,  
In Officina Birckmannicæ.

B. A. B. N.

